LAURENTII QUARTERII ... HERMENEUTICÆ LEGALIS LIBRI 4

Lorenzo Quartieri





LAURENTII QUARTERII

ANTECESSORIS PISANI

HERMENEUTICAE

LEGALIS

LIBRI IV.



PISIS

APUD RAYNERIUM PROSPERI

ALMAE UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUM

MDCCCXX.

LEOPOLDO AUSTRIACO
MAGNO ETRURIAE PRINCIPI

LAURENTIUS QUARTERIUS

Quae, Te mandante, Cajanis otiis contexui hermeneuticae legalis Elementa, quae mei muneris ratione ferente, Pisanis exercitationibus cupidae legum Juventuti viva voce exposui, quaeque et Tibi, et illi non

mediocri compendio fuisse ad obscura plurima vel ambigua declaranda, repetita experientia comperii, ea denuo Tibi commendo, Princeps studiosissime, dum Te probante, Tuo nomine decorata publici juris facio.

Illa excipe ea benignitate, qua semper auctorem Tibi addictissimum prosequutus es, ac Etruriae spei, DEO adjuvante, qui judicium suum Regi dat, et justitiam suam Filio Regis, Te incolumem serva.

CUPIDAE LEGUM JUVENTUTI

LAURENTIUS QUARTERIUS

Civilem Jurisprudentiam, qua sociati hominis jura et obligationes certa lege metimur, justi atque injusti *scientiam* dixit Ulpianus *L. justitia* 10. §. *ult. ff. de justit. et jur.*, eamque *artem* boni et æqui eleganter Celsus definivit *L.* 1. *pr. ff. eod.*

Cùm itaque et *Scientia* et *Ars* in Jurisconsulto perficiendo ita conspirent, ut alterius opem poscat altera res, et veluti amice conjuret, operæ pretium me facturum existimavi, si in elementia hermeneuticæ legalis academica methodo concinnandis, pro viribus meis, et temporis angustia, utrique consulerem.

Hinc, ad Juris *Scientiam* quod attinet, plura et plura exempla è sinceris Romanarum legum fontibus hausta, largâ manu cumulare sategi, quæ separatim quoque, secluso licet interpretationis negotio, magnæ utilitati esse possent ad studiosæ Juventutis animos notionibus plurimis

instruendos, quibus pro variis diversisque rerum humanarum casibus, clara et aperta legis doctrina præsto esset.

De *Arte* vero nihil dicam, quandoquidem præcipuus Opusculi hujus scopus in eo versatur, ut Juventutis ipsius ingenium, sagacitas, ratiocinandi vis perpetuâ cura exerceantur, ad tacitam sive loquentis sive scribentis voluntatem investigandam, obscuros sensus patefaciendos, ambigue concepta declaranda, uno verbô, diversorum actuum tenebras, non casu et vagâ licentia, sed certis regulis et probabili saltem ratione dispendendas.

Votis, egregiæ spei Juvenes respondeat eventus, ut studiis vestris cum præceptoris cura feliciter consociatis, nec vos olim pœniteat, inanes præterîsse dies, nec me aliquando pigeat, huna semina, ab uberrimo Romani Juris horreo depompta, ingratis sulcis, sterilique terræ mandasse.

INDEX

LIBRORUM ET CAPITUM.

HERMENEUTICAE LEGALIS
LIBRI IV.

PROOEMIUM.

§. I.

Quod de legibus ait Celsus (a), scire eas videlicet, non esse ipsarum verba tenere, sed vim et potestatem, id pari omnino ratione de ceteris quoque humanae voluntatis actibus, qui vel dicto constant, vel scripto consignantur, dici debere, apposite monent Maecianus (b), et Papinianus (c).

(a) *L. scire* 17. *ff. de legib.*
(b) *L. in ambiguis* 96. *ff. de reg. jur.*
(c) *L. in conventionibus* 219. *ff. de verb. significat.* Immo, etsi verba deficiant, quod factum est cum in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem. *L. rapienda* 168. §. 1. *ff. de reg. jur., ibiqu. Jac. Gothofred. comment. ad eund. tit.*

§. II.

Hinc probo Jurisconsulto legalis quædam necessitas imposita, ut rectæ *hermeneutices* tam generales, quam speciales canones in promptu habeat, ad eam vim et potestatem sagaci inquisitione assequendam, et opportuna interpretatione in propatulo collocandam.

§. III.

Ad hos itaque canones lege et ratione firmandos, totam hanc de legali interpretatione doctrinam ita partiri e re visum est, ut quatuor libellis distincto ordine disseratur

I. De interpretatione, ejusque divisione:
II. De generalibus rectæ interpretationis regulis:
III. De speciali diversorum actuum interpretatione:
IV. De peculiari causarum quarundam privilegio in interpretationis negotio.

HERMENEUTICAE LEGALIS

LIBRI IV.

LIB. I.

De Interpretatione, ejusque divisione.

§. IV.

Interpretatio definiri potest = Humani intellectus opera, qua actus controversi verborum significatione deprehensa (*a*), Auctoris mentem vel obscuram, vel ambiguam (*b*), certâ aut probabili ratione declaramus. =

(*a*) Vel, si verba deficiant, = *omnibus facti positionibus accurate perpensis* =

(*b*) *Obscurum* dicimus, ex quo nullus apparet sensus: *ambiguum*, quod duplicem significationem ita exhibet, ut quam Auctor voluerit ignoremus. *V. Cicer. de Invent. lib. 2. cap. 40., l. cum in lege 32. ff. de contr. emption.*

Hinc ambiguitas est quædam obscuritatis spe-

cies: hinc omni obscuritate vel ambiguitate exulante, omnis quoque exulat voluntatis quæstio. *L. ille aut ille* 25. §. 1. *ff. de legat.* 3., *l. continuus* 137. §. *cum ita* 2. *in fin ff. de verbor. obligat.*, *l. pediculis* 32. §. *argento* 2. *ff. de aur. argent. etc. l. cum manu* 80. §. *sylva* 2. *ff de contr. empt.*; V. *dec. Rot. Rom. in Romana fructuum dotalium* 1. *Jun.* 1801. *num.* 4. *cor. Resta*.

§. V.

Cum autem, ad interpretationis cujuslibet naturam et indolem adstruendam, vel diversa Interpretis persona, vel diversi effectus spectari soleant, hinc per summa capita ejus divisio I. a persona Interpretis: II. ab Effectu.

CAP. I.

De Interpretationis divisione a persona Interpretis.

§. VI.

Obscuri vel ambigui actus cujuscumque interpretatio vel Principis oraculo statuitur, vel diuturno, sive Magistratuum si-

ve Populi usu firmatur, vel privati Jurisconsulti ingenio, studio, ratiocinatione conficitur.

Hinc ipsius divisio in *Authenticam*, *Usualem*, *Doctrinalem*.

§. VII.

Authentica dicitur ea interpretatio, quæ Principem auctorem habet, cujusque proinde tanta est efficacitas, ut semel emissa, legis habeat vigorem (*a*).

(*a*) *L. 1. pr. et §. 1. ff. de constit. Princip.*
Hujus exempla ex Jure Romano exhibent *text. in l. nemo 11. Cod. qui testam. fac. poss.*, qua Justinianus interpretatur quod minus accurate dixerat *l. cum non solum 8. §. ipsum autem 5. vers. filii autem Cod. de bon. quæ liber.*, *de qua infra §. XXX. not. c.*, nec non Titulus Codicis *de verbor. et rer. significat.*

Ex jure Etrusco lex lata die 18. *August. ann.* 1777., qua P. Leopoldus Augustus interpretatur §§. 5. *et seq.* legis latæ 2. *Mart.* 1769., et Rescriptum emissum die 8. *Octobr. ann.* 1778., quo idem Princeps confirmat interpretationem §. 18. memoratæ legis *ann.* 1769. *V. Thesaur. Ombros. tom. 7. dec. 49. in fin.*

§. VIII.

Usualem Interpretationem vel Magistratuum, vel Populi longa consuetudo determinat, quandoquidem minime sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt (*a*), et si de interpretatione legis quæratur, in primis inspiciendum est, quo jure civitas retro in hujusmodi casibus usa sit: optima enim est legum interpres consuetudo (*b*).

(*a*) *L. minime* 23. *ff. de legib.*

(*b*) *L. si de interpretatione* 37. *ff. eod.*

Hinc teste Callistrato *l. nam ut Imperator* 38. *ff. eod.*, Severus Imperator rescripsit, in ambiguitatibus quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem aut rerum similiter judicatarum auctoritatem, vim legis obtinere debere.

Hinc quamvis jure Romano *armorum* appellatio et fustes et lapides significet §. *recuperandæ* 6. *Inst. tit. de Interdict.*, *l. quod est* 3. §. *armis* 2. *ff. de vi et vi armat.*, *l. armorum* 41. *ff. de verb. signif.*, tamen in Etruria nostra, si quis fuste vel lapide vulnus inflixerit, moribus et judicandi consuetudine receptum esse, ut *armis* vulnerasse non dicatur, testis est Paolettus *Inst. criminal. lib.* 6. *tit.* 4.

§. IX.

In *Doctrinali* deoiqoe interpretatiooe constituenda maxima elucet Jurisconsulti solertia, qui undique conquisitis rationum momentis, obscuræ vel ambiguæ locutionis tenebras, sive declarando, sive supplendo, sive comparando, sive conjongendo, legali face disperdere satagit (*a*).

(*a*) Interpretationis hujus exemplis pleni sunt Digestorum libri, eorumque plurima larga manu inferius exhibere meum erit. Videsis interim speciminis loco *l. quod autem 6. pr. ff. quæ in fraudem creditor.*, *l. legatum civitati 16. ff. de usu et usufruct.*, *l. in lege 77. ff. de contr. empt.*

CAP. II.

De Interpretationis divisione ab effectu.

§. X.

Interpretationem quamlibet, sive ipsa Principali auctoritate *authentice* fiat, sive aut Populi aut Fori longo *usu* firmetur, sive Jurisconsultorum *doctrinâ* et in-

genio nitatur, eo semper tendere dixi, ut obscura vel ambigua, sive loquentis sive scribentis voluntas, certa aut probabili ratione declaretur.

§. XI.

Cum itaque sive scribentes, sive loquentes, nunc adeo pressâ et angustâ oratione procedant, ut certos tantummodo casus contemplasse videantur, nunc generali nimis locutione utantur, qua casus plurimos extra eorum mentem positos, ipsos comprehendere voluisse existimemus, nunc phrases et vocabula usurpent, quorum aut latens aut dubius est sensus, hinc altera prodit Interpretationis divisio *ab effectu*, in *Extensivam*, *Restrictivam*, *Declarativam*.

§. XII.

Extensivâ Interpretatione utimur, quotiens probabili ratione deprehendimus, latentem actus controversi sensum magis patere quam verba, quorum proinde potestatem latiori Auctoris menti parem fa-

cimus, eam et ad non expressa protendentes (a).

(a) Sic ex. gr. I. Cum Prætor pœnam statuerit in eos, qui Edictum corrupissent *quod propositum esset*, merito post Pomponium docuit Ulpianus *l. si quis 7. §. quod si 2. ff. de Jurisdict.*, Edicti sententiam et ad eum porrigendam esse, qui Edictum ipsum corruperit vel dum proponeretur, vel ante propositionem, licet verba cessarent.
II. Legem Juliam, quæ de dotali prædio prospexit, ne id *marito* liceret obligare aut alienare, plenius interpretandam esse, ut etiam de *sponso* idem juris sit, quod de marito, tradidit Gajus *l. lex Julia 4. ff. de fund. dotal.*
III. Quamvis Oratio Imperatorum, quæ quasdam nuptias in personam Senatorum inhibuit, de *sponsalibus* nihil locuta esset, recte tamen dici, etiam sponsalia in his casibus nullius esse momenti, ut suppleatur quod orationi deest, monuit Ulpianus *l. oratio 16. ff. de sponsalib.*
IV. Licet Juvenciani Senatusconsulti littera, malæ fidei possessoribus infensa, de eo tantum loquatur, qui *ab initio* mente prædonis res hereditarias adprehendit, minime vero de eo loqui videatur, qui ab initio quidem justam causam

babuit adipiscendæ possessionis, postea vero conscius, ad se nihil hereditatem pertinere, prædonio more versari cœperit, recte tamen Ulpianus putat, et ad eum modum Senatusconsulti pertinere: cum parvi referat, ab initio quis dolose in hereditate sit versatus, an postea hoc facere cœperit. *L. sed et si* 25 §. *de eo* 5. *ff. de heredit. petit.*

V. Legem Juliam et Papiam, sobolis procreandæ causa latam, ita interpretatione adjuvandam esse, ut non solum eas conditiones improbari dicamus, quibus plane tollitur nubendi potestas, sed et eas quæ nuptiis incuodis difficultatis obicem quoquo modo opponant, docuit Terentius Clemens *l. hoc modo* 64. §. 1. *ff. de condit. et demonstr. V. infr.* §. *LVI. not. b.*

§. XIII.

Restrictivæ interpretationis ope, quæ amplioribus verbis concepta, veram auctoris mentem prætergredi videntur, ita intra ipsius terminos prudenti ratione concludimus, ut ultra eos minime vagari patiamur (*a*).

(*a*) Sic ex. gr. I. Hadriani Oratione cautum est = *ut post acceptum judicium id actori præstetur quod habiturus esset, si eo tempore quo petit, restitu-*

ta esset hereditas =. Generalia orationis verba possessores quoscumque, sive bonæ sive malæ fidei, comprehendunt; attamen si res petitæ casu perierint, durum fore in possessorem bonæ fidei orationis censuram detorquere, ac proinde eo casu restrictivæ interpretationi locum esse, animadvertit Paulus *l. illud quoque 4. pr. ff. de hered. petit.*

II. In eum, qui adversus Edictum fecisset, quo aliquem in jus vocare prohibebatur, quinquaginta aureorum judicium erat. *L. in cum 24. ff. de in jus vocand.* Licet autem non adjecisset Prætor, *causa cognita se judicium daturum*, Labeoni tamen placuit, restrictivâ interpretatione jurisdictionem moderandam esse *l. quamvis 11. ff. eod.*

III. Ad exhibendum possunt agere *omnes quorum interest*. Quæsitum est, an quis proinde jure agere possit, ut rationes adversarii sibi exhibeantur, quemadmodum quæri posset, an studiosus exhibitionem librorum ab aliquo jure petat, eo quod eum eos legisset, doctior et melior futurus esset. Respondit Paulus, non oportere jus civile calumniari, neque verba captari, sed qua mente quid diceretur, animadvertere convenire. *L. ad exhibendum 19. ff. ad exhibend.*

IV. Sumptus in prædium, quod alienum esse apparuit, a bonæ fidei possessore factos, eum

fructibus ante litem contestatam perceptis, ju sta ratione compensari, generaliter docuit Papinianus *l. sumptus* 48. *ff. de rei vindicat*. Sed generalem Romani Jurisconsulti doctrinam ita posterior Furi usus restrictivâ interpretatione temperavit, ut ipsa ad *originarios* tantum rei possessæ fructus referatur, minime vero ad eos, quos meliorationes a possessore factæ protulerunt. *V. meum opusc. cui tit. Disquisit. de Meliorat. cap. 4. num.* 7

§. XIV.

Declarativa interpretatio sæpe cum *extensiva* aut *restrictiva* confunditur. Attamen ipsa sola tertiam constituit interpretationis speciem, si aut legitimam verborum significationem unice declarando, aut linguæ alicujus vocabula in aliam transferendo, verum Auctoris sensum planius et apertius ostendat (*a*).

(*a*) Declarativæ Interpretationis plenissima exempla passim occurrunt in Jure nostro. Videsis Titulum Digestorum *de verbor. signif.* et Titulum Codicis *de verbor. et rerum significat.*



LIB. II.

Rectæ Interpretationis generales regulæ.

§. XV.

Interpetrationis opera, obscuram vel ambiguam sive loquentis, sive scribentis mentem, probabili saltem ratione declarari, supra animadverti; hinc certæ regulæ in promptu habendæ, ad eam prudenti consilio conficiendam accommodatæ.

§. XVI.

Verum antequam ad eas proferendas progrediar, illud monendum existimo, regulas omnes, ad quas exhibendas accedo, omni qnidem interpetrationi congruere, quæ vel a Magistratuum officio,

vel a privati Jurisconsulti doctrina proficiscatur, quorum munus est, opinionum suarum rationes edere: minime vero vel Principem alligare, cui nemo sanus diem dicere auderet, vel Populi actibus legem ponere, cui cœca multitudo nullo umquam pacto se subjiceret.

§. XVII.

Hoc monito præmisso, a generalibus rectæ interpretationis regulis ordior, quarum prima, eaque potissima est, ut actus controversi non ea tantum verba perpendantur, iu quibus vel obscuritatem vel ambiguitatem adesse deprehendimus, sed ut integræ dispositionis contextum, ideoque et quæ præcedunt, et quæ sequuntur, sedula cura, maturo consilio, pacato animo, iterum iterumque spectemus.

§. XVIII.

Et merito. Cum enim quæ præfationibus continentur, plerumque et inferius repetita censeantur (*a*): cum eidem verbo

sive formulæ, pluries in eodem actu prolatæ, diversa aptari nequeat interpretatio (*b*): cumque proinde actus cujuscumque pars una, alteram sæpe declaret (*c*), jure monuit Celsus, incivile esse, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare vel respondere (*d*).

(*a*) *Arg. l. Titia* 134. § 1. *ff. de verb. oblig. V. Rot. Roman. in Romana Consignat. deposit. super resolut.* 20. *Januar.* 1792. *num.* 4. *cor. Paracciano, et in Romona pecuniaria super reintegr.* 22. *Jun.* 1801. *cor. Resta*,

(*b*) *Arg. l. cum qui* 23. *ff. de usurpat. et usucap. V. Rot. Roman. in Hortana liberat. a molest. super caut. Angel. quoad execution.* 4. *Jul.* 1792. *num.* 6. *cor. Strasoldo, Rot. Florentin. dec. select. ann.* 1790. *tom.* 6. *dec.* 2. §. 8.

(*c*) Sic ex gr. I. Qui *filiabus* legavit, si mentionem aliqua parte testamenti *postumæ* fecit, videri in filiarum legato et de postuma sensisse, arguit Ulpianus *l. qui filiabus* 17. *pr. ff. de legat.* 1. II. Si numerus *nummorum* legatus sit, neque appareat quales sunt legati, præter patrisfamilias consuetudinem, regionis morem, legatarii dignitatem caritatem necessitudinem, et earum quoque quæ præcedunt, vel quæ sequuntur, sum-

marum scripta respectanda esse, docuit idem *l. si servus* 50. §. *ult. ff. eod.*

III. Omnibus, *quae in domo erunt*, legato relictis, cautiones debitorum aut emptiones servorum legato non contineri certum est. Verum, si ex alia parte apparuerit, et de servis cogitasse testatorem, eorum quoque servorum legatae viderentur emptiones, quos et ipsos voluit ad legatarium pertinere. *L. quaesitum* 12. §. *Papinianus* 45. *ff. de instruct. vel instrum. legat.*

IV. Si Triumviri, Imperialibus Institutionibus componendis a Justiniano praefecti, totam perlegissent Gaii sententiam in *l. adeo quidem* 7. § *cum quis* 7. *ff. de adquir. rer. domin.*, diversum profecto de spicis, ac de uva, et olivis judicium tulissent §. *cum ex aliena* 25. *Inst. tit. de rer. divis. et adquir. ear. domin.*

V. Item, textu integro perspecto in *l. plenum* 12. §. 1. *ff. de us. et habit.*, singularem Nervae opinionem, usuario nimis infensam, ceu jus receptum minime venditassent §. 1. *Inst. tit. eod.*, aperte repugnantibus Sabino, Cassio, Labeone, Proculo, Ulpiano.

(*d*) *L. incivile* 24. *ff. de legib.*

§. XIX.

Actus controversi verbis omnibus attente perpensis, altera exurgit generalis re-

gula, qua docemur, Auctoris mentem totum agere in interpretationis negotio, ideoque cavendum maxime, ne servili quodam nexu verbis ipsis hærentes, sententiam despiciamus, cujus investigatio, in interpretatione qualibet, omne punctum ferat oportet (a).

(a) *L. scire* 17. *ff. de legib.*, *l. in ambiguis* 96., *l. rapienda* 168. §. 1. *ff. de reg. jur.*, *l. in conventionibus* 219. *ff. de verb. significat.*

Hac juris regula innixus Ulpianus, deserendam putavit Juliani et Papiniani sententiam, qua subtiliter nimis verba captantes docuerant, hereditatis vel legati conditionem adimi non posse, quia conditio non *datur* sed *adscribitur*, nec proinde *adimi* possit quod non datur. Sed melius est, ait ille, sensum magis quam verba amplecti, et conditiones sicut adscribi, ita et adimi posse *l. si quis ita* 3. §. *conditio* 9. *ff. de adim. vel transf. legat.*

§. XX.

Ad hanc itaque investigationem, quantum fieri possit, certis quibusdam subsidiis adjuvandam, distinctis capitibus disseram

I. De voluntate tacita, sive excludenda, sive supplenda:

II. De voluntate ambigua declaranda:

III. De argumentis communibus; ad obscuritatem vel ambiguitatem tollendam; comparatis:

IV. De obscuris vel ambiguis ad minimum redigendis:

V. De obscuritate perenni.

CAP. I.

De voluntate tacita sive excludenda, sive supplenda.

§. XXI.

Quamvis taciti et expressi, ad vim et potestatem quod attinet, non eadem semper sit virtus (*a*), tamen in interpretationis negotio, tacitæ voluntatis investigationem omne punctum ferre debere, manifestum est.

Hinc juris regulæ, ad eam vel excludendam, vel supplendam, comparatæ,

(*a*) *V. Averan. Interpret. Jur. lib.* 3. *cap.* 36.

§. XXII.

Tacitam voluntatem binæ hæ regulæ excludunt.

I. Voluntas non fertur ad incognita (a):

II. Voluisse non creditur, qui velle non poterat, sive ut vulgo perhibent, *voluntas metienda est à potestate* (b).

(a) Sic ex. gr. I. In lege fundi vendundi lapidicinæ in eo fundo, ubique essent, exceptæ sunt. Post non multum temporis aliæ reperiuntur. Quæsitum est, an et ipsæ exceptæ dicendæ sint? Contra Tuberonis sententiam respondit Labeo, exceptum non videri quod venditionis tempore non appareret *l. in lege* 33 *ff. de contr. empt.* II. Mater decedens extraneum ex dodrante heredam instituit, filiam unam ex quadrante: alteram præteriit. Hæc de inofficioso egit, et obtinuit. Quæsitum, an filia ex quadrante instituta, a legitima successione arceri debeat, quasi eam, ex testamento adeundo, repudiaverit? Respondit Paulus: quæ ex testamentò adit, quod putat valere, repudiare legitimam hereditatem non videtur, quam nescit sibi deferri. *L. mater* 19. *ff. de inoff. testam.*

(b) Hanc regulam probant, allato texta in *l. Lucius Titius* 21. §. *Imperatores* 6. *ff. ad munici-*

pal., cujus en species. Pater pro filio infante decurionatum obtinuit, et ad ejus onera subeunda fidem suam adstrinxit. Quæsitum, an interim ea sustinere cogendus esset? Negant Imperatores, cum nemo videatur voluntatem suam dedisse ad ea quæ mandari non possunt.

Hac ipsa regula nititur vulgatum axioma, contra dolum et fraudem vehementem urgere juris præsumptionem, eaque proinde indicia perspicuis, indubitatis, et luce clarioribus probari oportere. *L. patronum 6. ff. de probat. et præsumpt., l. dolum 6. Cod. de dolo malo, l. ult. Cod. de probat.*

Hac demum regula sæpe usa est Romana Rota, constanter respondendo, potestatem certissimum ac tutissimum esse voluntatis indicem, ut quantum possumus, tantum voluisse videamur, *V. ex. gr. decis. in Tolentina donation. 1. Mart 1793. num 19. cor. Priolo, in Ravennaten. prælation. 22. April. 1793. num. 12. cor. eod., in Ferrarien. Transaction. 3. Jun. 1793. num. 13. cor. de Bayane, in Fabrianen. reintegrat. 17. April. 1801. num. 6. cor. eod., et in Romana Immission. 22. Jun. 1801 num. 15. cor. de Alteriis.*

§. XXIII.

Eam quinque hæ regulæ supplent.

I. Qui voluit plus, etiam minus voluisse dicendus est (*a*):

II. Qui voluit finem, et ea voluisse creditur, quæ ad illum honeste consequendum sunt necessaria (*b*):

III. Qui vult antecedens, non potest nolle quod sequitur (*c*):

IV. Qui præsens et intelligens tacet, licet non fateatur, tamen consentire videtur (*d*):

V. Voluntas colligitur etiam ab actu nullo, dummodo ejus infirmitas a consensus defectu non provenerit (*e*).

(*a*) In eo enim quod plus sit, semper inest et minus *l. in eo* 110. *ff. de reg. jur.*: in toto et pars continetur *l. in toto* 113. *ff. eod.*: semper specialia generalibus insunt *l. semper* 147. *ff. eod.*

Hinc apposite Justinianus §. *is qui* 8. *Inst. tit. de mandat.* = qui mandat ut sibi centum „ aureorum fundus emeretur, is utique mandas- „ intelligitur, ut minoris (si possit) emeretur = quandoquidem, Ulpiano docente, non debet, cui plus licet, quod minus est non licere *l. non debet* 21. *ff. de reg. jur.*

Huic autem regulæ minime repugnat quod ait Ulpianus ipse *l. si pupillorum* 7. §. *si Prætor* 3. *ff. de reb. eor. qui sub tut. sunt*, nihil videlicet egisse Tutores, qui pupillarem fundum obliga-

variat, quem Prætor permiserat vendi. Non enim perpetuum est, pupillorum utilitate inspectâ, plus esse vendere, quam obligare.

(b) Hinc I. Usufructu loci legata, etiam accessus dandus est, quia et haustu relicto, iter quoque ad hauriendum præstaretur *L. Gaurus* 10. *ff. de servit. præd. urbanor.*

II. Si prope tuum fundum jus est mihi *aquam rivo ducere*, tacita hæc jura sequuntur: ut reficere mihi rivum liceat, et adire qua proxime possim ad reficiendum eum, ego fabrique mei: item ut spatium relinquat mihi dominus fundi, quo dextra et sinistra ad rivum adeam, et quo terram, limum, lapidem, arenam, calcem jacere possim. *L. refectionis* 11. §. 1. *ff. commun. prædior.*

III. Si quis mihi itineris, vel actus, vel viæ controversiam non faciat, sed reficere, sternere non patiatur, Ulpiano teste Pomponius scribit, confessoria actione mihi utendum; nam et si arborem impendentem habeat vicinus, quæ viam vel iter invium vel inhabile faciat, Marcellus notat, iter petendum vel viam vindicandam; sed de refectione viæ et interdicto uti possumus, quod de itinere actuque reficiendo competit. Non tamen, si silice quis sternare velit, nisi nominatim id convenit. *L. loci* 4. §. *si quis* 5. *ff. si servit. vindic.*

IV. Si de mandati finibus prætergressis contro-

versia fiat, non sola mandati littera spectanda est, sed tacita mandantis voluntas investiganda, ut mandatum ad ea omnia trahatur, sine quibus res commissa ad exitum perduci non posset. *V. meum opuscul., cui titulus Disquisit. de Meliorationib. cap.* 14. §. 2.

(c) Hinc I. Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potest *l. cui jurisdictio* 2. *ff. de Jurisdict.*, ideoque mandata jurisdictione, etiam imperium quod non est merum videtur mandari, quia jurisdictio sine modica coërtione nulla est. *L. ult. ff. de offic. ejus cui mandat. est Jurisd.*

II. Si pater vel dominus, filium vel servum aut quid facere jusserit, aut peculio instruxerit, aut negotiationi præposuerit, aut quod per eum in utilitatem ipsius versum est, non aproverit, obligationes quas ipsi susceperunt, agnovisse intelligitur. *V. Inst. tit. quod cum eo qui in aliena etc.*

III. Absens, cujus negotia utiliter gesta sunt, pupillus, cujus Tutor fideliter se habuit, coheres vel socius, cujus pars ab altero bona ratione administrata, heres qui hereditatem adiit, si demum qui per errorem non debitum solverunt, hujus regulæ potestate obligati censentur, ne antecedentem utilitatem a debiti sequentis incommodo separare præsumant. *V. Tit.*

Instit. de obligat. quæ quasi ex contr. nasc., *Heinecc. elem. jur. civ. sec. ord. Instit.* §. 967.

(d) *Cap. qui tacet* 43, *cap. is qui tacet* 44 *de regul. jur. in* 6., *l. qui tacet* 142. *ff. de regul. jur.*

Hinc I. Filii qui præsentes non contradixerint, dum parentes pro eis sponsalia contrahebant, *tacite* consensisse dicuntur. *Cap. unic.* §. *fin. de desponsat. Impub. in* 6.

II. Si passus sim, aliquem pro me fidejubere, vel alias intervenire, mandati teneor. *L. si remunerandi* 6. §. *si passus sim* 2., *l. qui fide* 53. *ff. mandat.*, *l. semper* 60. *ff. de reg. jur.*

Creditor tamen, qui rem sibi jure pignoris obnoxiam passus est vel venire, vel alteri obligari, jus pignoris remisisse non censetur, nisi et ipse novi contractus tabulis non deceptus subscripserit. *L. sicut re* 8. §. *non videtur* 15., *l. Titius* 9. §. 1. *ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.*

(e) Hinc ex. gr. I. Quamvis neque per epistolam, neque ex imperfecto testamento tutorem recte dari, indubitati juris sit, tamen *voluntatem* patris in hujusmodi casibus a Judice servari solere, rescripsit Alexander *l. neque per epistolam* 1. *Cod. de confirm. tutor.*

II. Etsi mater filiis tutores dare non possit, solet tamen *ex voluntate* defunctæ, datus tutor a Præsidibus confirmari. *L. mater* 4. *Cod. de testam. tutel.*, *ibique Bynkershoek. observ. Jur. Rom. lib.* 2. *cap.* 2.

III. Licet, si quid post factum testamentum mutari placuit, omnia ex integro facienda sint, tamen si non mutare, sed quod obscurius dictum vel scriptum est explanare testator voluerit, declarationem hujusmodi, quæ testamenti jure non valeret, tamquam legitimum *voluntatis* indicem habendam esse, docuit Ulpianus *l. heredes* 21. §. 1. *ff. qui testam. fac. poss.*

IV. Hisce exemplis *add. decis. Rot. Roman. in Beneventana donationis quoad regress.* 1. *Mart.* 1792. *cor. Cesarei*.

CAP. II.

De voluntate ambigua declaranda.

§. XXIV.

Sicuti qui aliquid *tacite* sentit, nihil exprimit, quo voluntatem suam apertis verbis patefaciat, ita qui *ambigue* loquitur, plus exprimit quam oportuerit, itaut ex duabus pluribusve sententiis uno sermone comprehensis, utram ipse voluerit, incerti simus.

§. XXV.

Ad hanc itaque dubitationem tollendam, hæ regulæ receptæ

I. Quotiens idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipienda est, quæ rei gerendæ sit aptior (*a*):

II. Quod plerumque fieri solet, ambiguam orationem sæpe declarat (*b*):

III. In ambigua oratione declaranda commodissimum est, id accipi, quo res de qua agitur magis valeat quam pereat (*c*):

IV. Semper in dubiis benigniora præferenda sunt (*d*).

(*a*) *L. quotiens* 67. *ff. de reg. Jur.*

Sic I. Quamvis *donationis* vocabulum natura suâ omnem reputationem excludat, tamen si uno anno remissionem quis colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contigit ubertas, nihil obesse domino remissionem, sed integram pensionem etiam ejus anni quo remisit exigendam, licet ipse *donationis* verbo usus fuerit, Ulpiano teste *l. ex conducto* 5. §. *si uno anno* 4. *ff. locat.* docuit Papinianus. Remissionis enim, de qua agebatur, ea est genuina indo-

les, ut quae evenerunt sterilitates, ubertate aliorum annorum repensentur. *L. licet* 8. *Cod. de locat. et conduct.*

II. Si socer dotem solvere promiserit *cum commodum esset*, vel *cum potuisset*, quaesitum est, utrum aere alieno deducto vel extante, ad solutionem urgeri possit? Respondit Proculus, eum sensisse existimandum *cum deducto aere alieno potuerit. L. Nepos* 125. *ff. verb signif.* Et recte, hanc enim interpretationem ita suadet rei gestae natura, ut si aliud sensisse promittentem diceremus, inutilis plane efficeretur conditio solutioni adjecta, ob *text. in l. si de dote* 84. *ff. de jur. dot.*, *junct. l. inter eos* 19. §. 1. *ff. de re judicat.*

(*b*) Sic ex. gr. I. Si usurarum modus conventione definitus non fuerit, arbitrio Judicis ex *more regionis*, ubi contractum est, constituitur. *L.* 1. *pr. ff. de usur. et fructib.*

II. Testes judiciali examini subiiciendos, per *longum iter* evocari non oportere, indubitati juris est. Verum, quod *longum* quod *modicum* iter? Respondent Divi Fratres, diligentiae judicantis esse explorare, quae *consuetudo* in ea Provincia fuerit; nam si probabitur, *saepe* in aliam civitatem *plerosque* evocatos, non dubitandum, quin evocandi sint, quos necessarios in ipsa cognitione deprehenderit. *L. testium fides* 3. *in fin. ff. de testib.*

III. Si numerus *nummorum* legatus sit, neque appareat quales sint legati, ante omnia ipsius patrisfamilias consuetudinem, deinde *regionis*, in qua versatus est, exquirendam esse, monuit Ulpianus *l. si servus* 50. *in fin. ff. de legat.* 1., *l. heredes* 21. §. 1. *in fin. ff. qui testam. fac. poss.*

IV. Fundi *instrumento* legato, saepe dubitari contingit, an res aliquae instrumenti nomine contineantur. In hac igitur causa optimum esse Pedius ait, non propriam verborum significationem scrutari, sed in primis quid testator demonstrare voluerit, deinde in qua praesumptione sint qui in quaque regione commorantur. *L. cum de lanionis* 18. §. *item caccabos* 3. *ff. de instruct. vel instrum. legat.*

V. Hac denique regula innixa respondit Rota Romana, mandati fines non excessisse qui *fidejussionem* pro mandante praestere rogatus, eum non *accessorie*, sed *principaliter* obligaverat, ita exigente *regionis* more. *V. dec.* 152. *cor. Peralta.*

(*c*) *L. quotiens* 12., *l. in testamento* 24. *ff. de reb. dub.*, *l. quotiens* 80. *ff. de verb. oblig.*

Nemo enim, qui sanae mentis fuerit, credendus est id agendi genus eligere voluisse, quo corruat, quod actum est. *L. si miles* 3. *ff. de testam. milit. V. Rot. Rom. dec.* 122. *cor. Peralta.*

(d) *L. semper* 56., *l. in omnibus* 90., *l. rapienda* 168. *pr.*, *l. ea quæ* 192. §. 1., *l. quoties* 200. *ff. de reg. jur.*, *l. cancellaverat* 2., *l. proxime* 3 *ff. de his quæ in test. delent.*, *l. placuit* 8 *Cod. de Judic.*

Æquissimam hanc Romani juris regulam, contra Stoicorum placita qui omnia ad summi juris normam exigenda esse docebant, a Jurisconsultis humanitas quodammodo extorsit. Hinc ejus beneficio I. Favorabiliores rei potius, quam actores habentur *l. favorabiliores* 125. *ff. de reg. jur.*, ad cujus ornatum *V. l inter pares* 38. *ff. de re judicat.*, *l. nemo* 43 *ff de reg. jur.*, *l. apud Celsum* 4. §. *Marcellus* 13. *ff. de dol. mal. et met. except.*, *l. petendæ* 6. *Cod. de tempor. in int. restit.*; junct. tamen *l. in contrahenda* 172. §. 1. *ff. de reg. jur.*, *l. solemus* 61. *pr.*, *l. si quis intentione* 66 *ff. de Judic.*, *l. inter stipulantem* 83 §. 1. *ff de verb. oblig.*, *l. jam tamen* 5. §. *si tamen* 7. *ff. judicat. solvi.*

II. Arrianus ait, ubi de obligando quæritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem, ad negandum: ubi de liberando ex diverso, ut faciliores simus ad liberationem. *L. Arrianus* 47 *ff. de oblig. et act.*

III. Si debitor proinde per certos annos minores usuras solverit, creditorem deinceps, majores ex stipulatu petentem, taciti pacti exceptione repellit. *L. adversus* 5. *Cod. de usur.*; contra ve-

ro, si majores solvit, quod amplius solutum est, sortem minuere respondit Scævola *l. creditor* 102. § *ult. ff. de solut. et liberat.*

IV. Quamvis in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debeatur *l. in omnibus* 14 *ff. de reg. jur.*, et hinc creditor *statim* petere possit, hoc tamen cum aliquo temperamento temporis ita intelligendum esse, ut ipse debitorem cum sacco adire non debeat, monuit Paulus *l. quod dicimus* 105 *ff. de solut. et liberat.*

V. Si de ineunda cum debitore *concordia* non conveniant creditores, et omnia undique in unam æqualitatem concurrant, sive inspiciatur debiti cumulus, sive personarum numerus, sive singulorum dignitas, *humaniorem* sententiam a Prætore eligendam esse, ex D. Marci rescripto colligi potest. *L. majorem* 8 *ff. de pact.*

VI. Si quis debitor ex pluribus causis, partem aliquam creditori solverit, utriusque demonstratione cessante, in duriorem causam videtur facta solutio. *L. ceterum* 3., *l. cum ex pluribus* 97. *ff. de solut. et liberat.*, junct. tamen *l.* 1. *Cod. eod.*

VII. Aliam esse causam Institutionis, quæ benigne accipienda est, aliam exheredationum, quas adjuvare non oportet, docuit Paulus *l. cum quidam* 19 *ff. de liber. et postum.*, ad cujus ornatum *V. l. si ita scriptum* 13., *l. Titius*

25. §. 1. *ff. eod., l. si fuerit* 10. §. 1. *ff. de reb. dub.*

VIII. In pœnalibus denique causis benignius interpretandum esse, ut pœnæ potius molliantur, quam asperentur, notissimi juris est. *L. factum* 155. §. *ult. ff. de reg. jur., l. interpretatione* 42 *ff. de poen., junct. l. credendum* 4. §. 1. *ff. qui pet. tutor. vel cur., l. Divus Antoninus* 7 *ff. de in int. restit.*

CAP. III.

De argumentis communibus, ab obscuritatem, vel ambiguitatem tollendam, comparatis.

§. XXVI.

Si regulæ, de quibus hactenus, sive ad voluntatem tacitam eruendam, sive ad ambiguam declarandam, parum prodesse videantur, communia argumenta quædam accurato interpreti suppeditat Romanorum Jurisconsultorum solertia, quorum ope, facillimo sæpe negotio, pleræque obscuritatis tenebræ et lumini cedant et veritati

§. XXVII.

Talia sunt, quæ alphabetico ordine disposita dicimus
I. Ab Absurdo :
II. a Connexione :
III. a Contrario sensu :
IV. a Contrariorum disciplina :
V. a Correlativis :
VI. a Determinatione unica :
VII. a Diversitate rerum, vel personarum :
VIII. a Diversitate locutionis :
IX. ab Ethymologia :
X. ab Indefinita locutione :
XI. ab Observantia :
XII. a Paritate rationis :
XIII. a Relatione :
XIV. a Specie generi derogante :
XV. a Verisimili :
De omnibus singillatim.

§. XXVIII.

Argumento *ab Absurdo* uti dicimur, quotiens post Celsi monitum (a), in ambigua vel obscura actus cujuscumque vo-

ce interpretanda, eam potius significationem accipimus, quæ vitio careat (*b*).

(*a*) *L. in ambigua* 19. *ff. de legib.*
(*b*) Argumenti robur, nemo, qui emotæ mentis non fuerit, impugnare audebit; sed omne disputationis punctum in eo versabitur, an interpretationi quam ut absurdam reiicere velimus, hujusmodi nota inurenda sit. Hinc exempla plurima in promptu habenda, quæ pro variis facti positionibus normæ cujusdam vice fungantur.

Talia exhibent textus in

I. *L. si in diem* 46. *ff. de condit. et dem.*, quo si in diem certum imparatum est legatario, ut aliquid heredi solvat, neque initium temporis adscriptum est, adita hereditate diei cessionem incipere, docuit Paulus: quia *absurdum* visum est, ante diem præterire, quam is exsisteret quem oportet accipere.

II. *L. quid tamen* 21. §. *sed si in aliquem* 11. *ff. de recept. qui arbitr.*, cujus en species. Compromisso inito, pœnam stipulati sunt litigantes, si quis eorum, arbitro adesse jubente, non adfuerit. Is in aliquem locum inhonestum adesse jussit; sine dubio impune ei non parebitur. Sed si in sit locus, in quem alter ex litigatoribus honeste venire non possit, alter possit: et is non

venerit qui sine sua turpitudine eo venire possit, is venerit qui inhoneste venerat, quæsitum est, an committatur pœna compromissi, quasi opera non præbita? Et recte, Ulpiano probante docuit Celsus, non committi; *absurdum* enim foret, jussum in alterius persona ratum esse, in alterius non.

III *L. sive hereditaria* 22. *ff. de negot. gest.*, qua *absurdum* dicit Gajus, negotiorum gestorem quidquam consequi earum rerum nomine, quæ vitio ejus interierint, quum propter vitium illud damnandus sit.

IV. *L. nam absurdum* 7. *ff. de bon. libertor*, qua eodem Jurisconsulto monente, *absurdum* videtur, scripto heredi vel legatario licere partim comprobare judicium defuncti, partim evertere.

V. *L. observare* 4. § *ult. ff. de offic. Procons.* qua præmissa juris publici Romanorum doctrina, nullam jurisdictionem, quæ voluntaria non sit, Proconsuli competere priusquam in provinciam venerit, ipsum opportune monet Ulpianus, ne antequam ingrediatur jurisdictionem mandet legato suo; esset enim perquam *absurdum*, alii eam mandare, quam ipse non habet.

VI. *L. Salvius Aristo* 6. *ff. de legat. præstand. contra tabb.*, cujus species ita se habet. Filius emancipatus, qui judicia patris rescindit

per contra tabulas bonorum possessionem, cogitur prætoria Edicto legata et fideicommissa quibusdam personis præstare *l.* 1. *pr. ff. eod.* Hinc animadvertit Julianus, hanc edicti partem nonnulla habere *reprehensione*, quandoquidem, sæpe contingere posset, ut legatarius plus habiturus sit, quam emancipatus; ideo *absurdo* huic ita medendum esse docuit, ut legatorum modo temperato, nihil plus ex legatis ad aliquem perveniat, quam apud emancipatum, bonorum possessionis nomine, remansurum est. *Add. l. virilis portio* 8. *pr. ff. eod.*

VII. *L. scire oportet* 13. §. *aliud etiam* 2. *ff. de excusation.*, qua Scævola, Paulo, et Ulpiano præeuntibus, D. Marci promulgationem ita capiendam esse testatur Modestinus, ut non legis verbis, sed Legislatoris mente spectata, tollatur *absurdum*, qua tutori centum sexaginta milliaribus ab Urbe distanti minus dierum spatium tribui videtur ad excusationem proponendam, quam si qui in ipsa civitate, vel intra centum milliaria habitet.

§. XXIX.

Argumento *a Connexione* sumpto docent Interpretes = *Connexorum idem esse debere judicium* = (*a*).

(*a*) Hue translatis juris exemplis, quæ supra congessi §. XXIII. *not. b. et c.*, ad potestatem adstruendam notissimorum axiomatum = *qui voluit finem et ea voluisse creditur, quæ ad illum honeste consequendum sunt necessaria* = *qui vult antecedens, non potest nolle quod sequitur* =, hæc addantur, quæ ad argumentum de quo agimus, proximius accedunt.

I. Hebræi populi ritus, Deo jubente a Moyse præscripti, ita cum Levitico sacerdotio *connexi* erant, ut apposite docente D. Paulo *ad Hebr. VII.* 12., translato illo, ob novi fœderis sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, necesse fuerit, ut legis quoque translatio fieret. *Cap. translato* 3. *X. de Constitution.*, *ibique Gloss. summar. V. vel. Foggi dissert. Canon. XII. Tom* 3.

II. Interrogatus Alexander III. Pont. Max., an liceret Judici simpliciter delegato cogere contumacem ut veniat, aut damnare si non venerit, respondit posse, etiamsi litteræ commissionis id non contineant: quia ex eo quod causa sibi committitur, super omnibus quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem. *Cap. præterea* 5. *X. de offic. et potest. Jud. deleg.*

III. Quæsitum est, an judicio contrario tutelæ præstari debeat quod a tutore impensum, in rem pupilli versum est, sive ante tutelam

sive post tutelam? Respondit Ulpianus, præstandum esse, si negotiis tutelæ tempore gestis *nexum* probatur. *L. quid ergo* 3. §. *pen. ff. de contr. tutel. et util. action.*

IV. Dolo vel culpa servum unom ex comœdis, aut symphoniacis, aut gemellis, vel ex quadriga aut pari mularum, unam quis occidit. Causas corpori *cohærentes* ita æstimandas esse docuit Paulus, ut non solum perempti corporis æstimatio facienda sit, sed et ejus ratio haberi debeat, qoo cetera corpora depretiata sunt. *L. proinde* 22. *ff. ad leg. Aquil.*

V. Eum actum, quem quis in servitute egit, manumissum reddere non cogi, vulgati juris est. Verum, si quid *connexum* fuit ut separari non possit ratio ejus quod in servitute gestum est, ab eo quod in libertate gessit, constat venire in judicium, vel mandati vel negotiorum gestorum, et quod in servitute gestum est, *L. cum actum* 17. *ff. de negot. gest.*, *l. si cognati* 21. *Cod. eod.*

VI. Hoc denique argumento nititur doctrina gravissima *de foro competente*, quod nonnumquam statuit *continentia causæ*, cujus divisionem aperte improbat text. in *l. nulli prorsus* 10. *Cod. de Judic. V. Tit. ff. de quib. reb. ad eund. Judic. eat.*, *junct. l. omnes Tutores* 5. *Cod. arbitr. tutel.*; item *l.* 1. §. *cum dictur* 6. *ff. si plus quam per leg. Falcid.*, *l. cognitio* 8.

ff. de liberal. causa; demum *L. Etrusc. cui tit. Regolam. di proced. civil. art.* 34. *et seq.*, nec non *L. alter. cui tit. Regolam. per il Trib. di commerc. di Firenze art.* 14.

§. XXX.

Argumento *a contrario sensu*, cum quo alia conspirant, quæ dicimus *a superfluo*, necnon *ab exceptione firmante regulam in casibus non exceptis*, quodque *fortissimum* appellat Papinianus (*a*), tunc utimur, quoties quæ uno in casu aut conceduntur aut denegantur, eadem ipsa in casu contrario, versa vice aut negata, aut concessa dicimus (*b*).

Utcumque tamen magna sit argumenti hujus efficacitas, ea cessat

I. Si quæ a contrario sensu deducere velimus, lex aperte inhibeat (*c*):

II. Si a contrario sensu prava sequeretur actus intellectio (*d*):

III. Si particula adsit, quam Doctores dicunt *implicativam*, veluti *etiam*, *quoque*, *maxime*, *præcipue* (*e*).

IV. Si dubitationis tollendæ causa, aliquid contractibus insertum fuerit (*f*).

(*a*) *L.* 1. *pr. ff. de off. ejus cui mandat. est jurisd.*
(*b*) Sic ex. gr. I. Cum lege Julia de vi nominatim caveatur, *ut is cui obtigerit exercitio, possit eam si proficiscatur mandare*, merito Papinianus infert, errare Magistratus, qui cum praesentes sint, extraordinariam hujusmodi jurisdictionem mandari posse, sibi falso persuadent. *cit. l.* 1. *pr. ff. de off. ejus cui mand. est jurisd.*
II. Cognitis personis, quae alieno juri subjectae sunt, simul intelligi quae sui juris sunt, recte Gajus animadvertit *l.* 1. *pr. ff. de his qui sui vel al. jur. sunt.*
III. Quem *sine liberis* dicere non possumus, hunc necesse est dicamus, liberos habere. *L. nam quem* 149 *ff de verb. signif.*
IV. Cum lex in praeteritum quid indulget, in futurum vetat. *L. cum lex* 22. *ff. de legib.*
V. Cum Praetor unum ex pluribus judicare vetat, ceteris id committere videtur. *L. cum Praetor* 12 *ff. de Judic.*
VI. Ex eo quod prohibet lex Julia de adulteriis, testimonium dicere condemnatam mulierem, colligitur, etiam mulieres testimonii in judicio dicendi jus habere. *L. ex eo* 18. *ff. de testib.*, *l. qui testamento* 20. §. *mulier* 6. *ff. qui testam fac. poss.*
VII. Cum inter patrem et generum convenit, ut in matrimonio *sine liberis* defuncta filia, dos patri restituatur, id actum inter contra-

bentes intelligi debet, ut *liberis superstitibus* defunctæ filia, dos retinentur. *L. inter socerum* 26 §. *cum inter* 2. *ff de pact. dotalib.*

VIII. Si cum dotem daret pater vel extraneus, in unum casum pepigit, vel in divortium scilicet vel in mortem, dicendum est, in eum casum in quem non pepigit, esse mulieri actionem. *L. si cum dotem* 22. *pr. ff. solut. matrim.*

IX. Domo instructa legata, si testator argentum et rationes excepit, non potest non videri, de ceteris rebus quæ in ea essent, sensisse. *L. quæsitum* 12. §. *idem respondit* 43. *ff. de instruct. vel instrum. legat.*

X. Si cui penus legata sit, præter vinum, omnis penus legata videtur, excepto vino. *L. nam quod* 4. §. *ult. ff. de pen legat.*

XI. Si quis ante militiam testamentum fecerit, et postea cum militare cœpisset, aliquid interleverit, perduxerit, vel emendaverit, cetera omnia militari jure firmasse censetur. *L. Tribunus* 20. *in fin. ff. de testam. milit.*

(c) Justinianus, præmissa distinctione rerum ad filiosfamilias pertinentium, in quibus pater usumfructum habeat vel non, ita statuit *l. cum non solum* 8. §. *ipsum autem* 5. *Cod. de bon. quæ liber.* = Filiis autem familias in his dum„ taxat casibus, in quibus ususfructus apud „ parentes constitutus est, donec parentes vi„ vunt, nec de iisdem rebus testari permitti-

„ mus, nec contra voluntatem eorum, quo-„ rum in potestate sunt, ulla licentia eis con-„ cedenda, dominium rei ad eos pertinentis „ alienare = . Itaque (inferebant quidam, argumento ducto a contrario sensu), si ususfructus apud parentes constitutus non est, licebit illis libere testari de rebus plene suis, quaodoquidem qui aliquid excepit, cetera permisisse videtur *arg. cit. l. cum Praetor 12. pr. ff. de Judic.* Recte quidem illatio, sed quam Justinianus ipse aperte improbavit *l. nemo 11. Cod. qui test. fac. poss.*

(*d*) Exceptionis hujus en bina exempla

I. Qui omissa causa testamenti, ab intestato possidet hæreditatem, Prætoris edicto, quo defunctorum voluntates tuetur, legata et fideicommissa præstare cogitur. *L. 1 pr., l. licet 2. pr. ff. si quis omissa caus. testam.* Frater codicillos fecit ab intestato, petiitque a fratre, *ut si legitima hereditas ad eum pertinuerit, fideicommissa præstaret quibusdam*; mox testamento facto, fratrem ipsum heredem scripsit, ab eoque legata reliquit. Quæsitum est, an si omissa causa testamenti, ab intestato possideat hereditatem, legatariis cogatur respondere? Pro ea urgere videtur argumentum *a contrario sensu*, quandoquidem si in casu omissionis fideicommissa præstari voluit defunctus, legata quodammodo ademisse censendus est.

Sed pravam hanc Codicillorum intellectionem iis post Julianum improbavit Ulpianus, ut eum cogendum esse docuerit, omnimodo legat prӕstare, quandoquidem = *non utique omittere ei hereditatem permisit, qui fideicommissa ab eo reliquit ab intestato* = *L. quia autem. 6. pr. ff eod.*

II. Pater fideicommissum in diem certam a filia reliquit, eamque eo nomine cavere prӕcepit = *si a marito non divertisset.* =. Filia cavere detrectans, ita rationes suas componit. Cum pater me cavere jusserit, *si a marito non diversissem*, a contrario sensu cautionem remisit *si divertero*; sed divortii conditio et ipsa remittitur; ergo et cautio et conditio ita in eadem causa censendӕ, ut ambӕ remissӕ dicendӕ sint. Speciosa quidem illatio, sed pravӕ intellectionis vitio ab Imperatoribus reprobata *l. cum paterfamilias 2. Cod. de Condit. insert.*

(e) Hinc, si conventiuncula illicita *etiam* extra Ecclesiam in privatis ӕdibus prohibentur, multo magis in Ecclesia ipsa prohibita esse inferendum, nil refragante argumento a contrario sensu. *L. conventiuncula 2. Cod. de Episcop. et Cleric.*, *ibiqu. Brunnemann.*

(f) Ad exceptionis hujus vim et potestatem assequendam, hӕc omnino observanda. Casus, quorum oppositio fundamentum prӕbet argu-

mento de quo egimus, si ad juris trutinam exigantur, vel 1. utrique clari esse possunt, vel 2. utrique dubii, vel 3. diversæ conditionis. Hac præmissa distinctione, hæ regulæ tenendæ I. Primo themate, casus unus expressus ita lucem facit argumento *a contrario sensu*, ut in altero decidendo, opposita regula plane servanda sit. Hinc cum indubitati juris esset, profectitiam dotem patri restituendam, sive filia cum liberis, sive sine liberis in matrimonio decessisset *l. jure 6. ff de jur. dot.*, *l. dos a patre 4. Cod. solut. matrim. V. Gravin. de ort. et progress. jur. civ. cap. 146.*, *ibiqu. not. Mascov.*, merito Papinianus intulit, *liberis superstitibus* uxore defunctâ, dotem apud virum remansuram, si cum socero pepigisset, ut in matrimonio *sine liberis* defuncta filia, dos patri restitueretur. *V. supr. not. b. num. 7.*

Manifestî quoque juris erat, dotis restitutioni locum fieri, sive per mortem sive per divortium matrimonium solutum esset *tit. ff. et Cod. solut. matrim.* Hinc si in unum casum, in divortium scilicet, vel in mortem, dotis restitutio conventa fuerit, in altero cessare, argumento ducto a contrario sensu, docuit Ulpianus. *V. supr. not. b. num. 8.*

II. Altero themate idem plane dicendum putarem, quandoquidem si ex duobus casibus utrisque dubiis, unus tantum expressa decla-

ratione decisus fuerit, alterum contrariæ declarationi tacite subjectum existimarem.

III. Tertio vero distinguendum. Si enim ex diversæ conditionis casibus, clarus expressus fuerit, dubius prætermissus, argumentum de quo agimus plene procedere, nemo inficias iverit. E contrario autem, si dubius declaratus, clarus silentio præteritus, argumentum hoc omnino exulare docuit Papinianus *l. qui mutuam* 56. *pr. ff. mandat.*, cujus en species. Jure veteri et novo creditor pignus distrahere non cogebatur, si fidejussorem simpliciter acceptum, omisso pignore vellet convenire *l. inter eos* 51. §. *creditor* 3. *ff. de fidejuss. et mandat.*, *l. jure nostro* 5. *Cod. eod.* Sed indecorum hunc ordinem, quem jure novissimo Justinianus correxit *Nov.* 4. *cap.* 1. jamdiu improbaverat honestiorum humanitas, itaut Cicerone *ad Attic. lib.* 12. *epist.* 17., *lib.* 16. *epist* 15., et Quintiliano *declam.* 273. testibus, omisso reo sponsores appellare, quandam δυσωπίαν, non sine pudoris detrimento, habere videretur. Hinc inter bonos dubitatio aliqua, cujus tollendæ gratia, si is qui mutuam pecuniam dari mandavit, litteris expressit licere creditori, omisso reo promittendi et pignoribus non distractis, ipsum eligere, nil ei prodesse argumentum a contrario sensu respondit acutissimi ingenii Jurisconsultus: etenim, quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inse-

runtur, jus commune non lædunt *l. quae dubitationis* 81. *ff. de reg. jur.*

§. XXXI.

Si argumento a contrario sensu, quæ uno in casu conceduntur aut denegantur, in casu contrario negata aut concessa dicimus, argumento alio, post *text. in l. secundum naturam* 10, *l. ex qua persona* 149. *ff. de reg. jur.*, docent juris nostri Magistri = *contrariorum eandem esse disciplinam* = (a).

(a) Hinc I. Quoniam omnis rei fructus ad fructuarium pertinet, reficere quoque eum ædes per arbitrum cogi, Celsus scribit *l. usufructu* 7. §. *quoniam* 2. *et seq. ff. de usufr. et quemad.*, junct. *l. si domus* 18. *ff. de us. et habitat.*, quæ regulæ bujus præsidio usuarii quoque (ad refectionem quod attinet) jura et obligationes determinat.

II. Quoniam demortuæ arbores ad ipsum fructuarium pertinent, in earum locum alias ab illo substituendas esse, merito docuit Paulus *l. agri* 18. *ff. de usufr. et quemadmod.*

III. Quoniam gregis, vel armenti fœtus ipsius fiunt, debere eum ex adgnatis gregem supple-

re, idest in locum capitum defunctorum vel inutilium alia summittere. Pomponius et Ulpianus docuerunt *l. vetus* 68. *et seqq. ff. eod.*
IV. Quoniam rei venditæ periculum emptoris est, commodum quoque ejus esse debet. §. *cum autem* 3. *Inst tit. de empt. et vend.*, *l. id quod* 7. *pr. ff. de peric. et commod. rei vend.*, *l.* 1. *Cod. eod.*
V. Si inter socios conventione inita, in una causa pars fuerit expressa, veluti in solo lucro vel in solo damno, in altera omissa, expeditum esse docet Imperator, in eo quoque quod prætermissum est, eandem partem servari §. *illud expeditum* 3. *Inst. Tit. de societat.* Hinc iniquissimum societatis genus dicit Ulpianus, si ex qua parte quis damnum sustinet, non etiam lucrum capiat *l. si non fuerint* 29. §. *ult. ff. pro soc.*
VI. Qui rem commodatam furto subtraxit, lite pulsatus condemnationem passus est. Dubitarunt veteres utrumne furti pœna rei domino lucro cederet, an commodatario? et Papinianus ipse variavit; sed commodatario illam adjudicat Justinianus, ut ubi periculum est, ibi et lucrum collocetur *l. ult.* §. *sed cum* 3. *Cod. de furt.*
VII. Inferiorem locum ita naturâ ipsâ superiori servire, ut aquam recipiat quae ex eo naturaliter fluit, vulgo notum est *l.* 1. §. *sed et si*

vicinus 22., l. 2. pr. ff. de aqu. et aqu. pluv. arc. Sed optime animadvertit Labeo, servitutis hujus incommodum cum alio commodo compensari, eo quod omnis pinguitudo terræ ad inferiorem fundum decurrat *cit. l. 1. §. ult. ff. de aqu. etc.*

VIII. Cum Prætor ad bonorum possessionem emancipatos admittat, participesque faciat cum his, qui sunt in potestate, bonorum paternorum, manifestæ æquitatis esse docuit Ulpianus, ut sua quoque bona in medium conferant, qui appetunt paterna *l. 1. pr. ff. de collation. bonor.*

IX. Admissa vero bonorum possessio cum commoda hereditaria tribuat, secundum naturam est, ut tribuat incommoda *L. 1. ff. de bonor. possess.*

X. Heredes vel legatarios unica ratione comprehensos deficientium partes jure adcrescendi lucrari, voluit quidem Justinianus; ita tamen ut gravamen quoque sentiant, quod ab initio fuerat impositum, cum ferendus non sit qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit. *L. unic. §. pro secundo 4. Cod. de caduc. tollend.*

XI. Dotis fructus ad maritum pertinere debere æquitas suggerit; cum enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est, eum etiam fructus percipere *L. dotis 7. pr. ff. de jur. dot.*

XII. Nemo denique ignorat, ubi successionis est emolumentum, ibi et legitimæ tutelæ, onus esse debere. *pr. Instit. tit. de legit. patronor. tutel., L. quo tutela* 73. *pr. ff. de reg. jur.*

§. XXXII.

Correlativa nuncupamus, quorum unum ita ab altero vires capit, ut alterutro sublato, utraque corruant.

Hinc argumentum *a Correlativis*, quo docemur = *Correlativorum idem esse judicium, et de uno dispositum, ad alterum trahi* = (*a*).

(*a*) Sic ex. gr. I. In contractibus qui mutuam obligationem utrimque pariunt ita obligatio una ad alteram refertur, ut uno tantum ex contrahentibus per acceptilationem liberato, omnes liberentur *L ult. ff de acceptilat.*
II. Legatum ei relictum quem defunctus tutorem dedit, ita a tutelæ administratione quodammodo sustentatur, ut nisi aliud evidenter expressum sit, qui vel se excusare maluit, vel ut suspectus remotus est, legatum quoque amisisse censeatur *L. Nesennius* 32. *et seqq. ff. de excusat., l. etiam* 111. *ff. de legat.* 1., *l. qui tutelam* 28. *pr. ff. de testam. tutel., l. post*

legatum 5. §. *amittere* 2. *ff. de his quae ut indignis etc.*

III. Alteri ex hæredibus præceptionem prædii testator dedit: mox alteri præstari adversus debitorem actiones ad eum finem mandavit, quo prædium fuerat comparatum. Cum postea prædio distracto, citra ullam offensam ejus qui præceptionem acceperat, pretium in corpus patrimonii redisset, non esse præstandas actiones coheredi respondit Papinianus *l. alteri* 25. *ff. de adim. vel transf. legat.* Et merito: Cum enim præceptio una alteram compensaret, prima sublata per alienationem prædii *l. cum servus* 15, *l. rem legatam* 18, *l. legatum* 24. §. 1. *ff. eod.*, alteram quoque corruere necesse erat.

IV. Ab heredibus quis petierat, ut si in provincia decessisset, sexaginta Lucio Titio darentur, ut is corpus ejus curaret in patriam reportari: et adjecerat hæc verba = *cui concedi volo si quid ex ea pecunia supererit* =. Eadem die codicillos ad heredes suos ita scripserat = *peto a vobis, ut sive in provincia sive in via aliquid humanitus mihi acciderit, corpus meum curetis et in Campaniam et in monumentum filiorum meorum reportari* =. Quæsitum est, an id quod superfuerit ex sexaginta, a Lucio Titio tacite ademerit? Ademptum videri, respondit Scævola *l. alumnae* 30. §. *ab heredibus* 2. *ff. de. adim. vel transf. legat.*, quandoqui-

dem adempto sepulturæ onere, et legatum omne ejus causa datum, ademptum videretur.

V. Procurator vendidit, et cavit emptori. Quæsitum est, an domino vel adversus dominum actio dari debeat? Papinianus putat, cum domino ex empto agi posse utili actione; ergo, regulæ de qua agimus potestate, colligit Ulpianus, utilem actionem domino quoque competere. *L. Julianus* 13. §. *si procurator* 25. *ff. de act. empt. et vend.*

VI. Quinque libris auri dispendio mulctabatur qui Daphnensis luci in Syria, vel Perseis in Ægypto arbores comparaverat; hinc, non minore dispendio et illum feriendum esse, qui vendere arbores ausus fuisset, quas non licebat emptoribus comparare, intulerunt Imperatores *l.* 1. *Cod. de cupress. etc.*

§. XXXIII.

Sæpe evenit, ut sive loquendo sive scribendo, unico verbo plura diversa, brevitatis causa, comprehendamus.

Hinc aliud exurgit argumentum *ab unica determinatione*, quo omnia communi quodam verbo eadem oratione comprehensa, æquali norma metimur; sive ut barbare quidam = *unica determinatio re-*

spiciens plura determinabilia, omnia aequaliter determinat = (*a*).

(*a*) Uberrimam sane, et more suo numeris omnibus absolutam argumenti hujus explanationem dedit cl. Averanius noster *Interpretat. jur. lib.* 3. *cap.* 16. *et seq.*, qui omnino consulendus, addita *dec. Rot. Rom. in Melivetana pecuniaria super non resolut.* 18. *Febr.* 1793. *num.* 5. *cor. Paracciano.*

§. XXXIV.

Cum monente Juliano (*a*), nulli actus ita scribi possint, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, quandoquidem non omnes rerum articuli singillatim humana prævisione comprehendi possunt (*b*), hinc perpetua fere congruentis illationis necessitas, qua a certis et manifestis, prudenti ratione *ad similia* procedatur (*c*).

Ad *similia* dixi: alio enim argumento, quod *rerum aut personarum diversitas* suggerit, opportune docemur = *Illationem a diversis non fieri* = (*d*).

(*a*) *L. neque leges* 10. *ff. de legib.*

(*b*) *L. non possunt* 12. *ff. eod.*

(*c*) Hinc Paulus, præmissa juris regula, tutorem res pupilli emere non posse, eam ad similia quoque porrigendam esse merito docet, idest ad curatores, procuratores, et qui negotia aliena gerunt. *L. si in emptione* 34. §. *fin. ff. de contr. empt.*

(*d*) *L. si unus* 27. §. *pacta in fin. ff de pact.*

Sic ex. gr. I. Navis, quam quis spopondit dissoluta est, et rursus iisdem tabulis compacta: vinum promissum ex eo fundo consumptum est, sed nova adveniente vindemia iterum nascitur; et navem renovatam dandam esse, et vinum præstandum, nemo dubitat. Contra vero qui rem profanam, aut Stichum dare promisit, in perpetuum liberatur, si sine facto ejus res sacra esse cœperit, aut Stichus ad libertatem pervenerit; nec redintegratur obligatio, si rursus lege aliqua et res sacra profana esse cœperit, et Stichus ex libero servus effectus sit. Quare? Quia hæc *dissimilia* sunt. Nil etenim vetat aut dissolutæ navis redintegrationem, aut novi vini vindemiam expectare: rei vero sacræ exaugurationem, aut casum adversamque fortunam spectari hominis liberi, neque civile neque naturale est. *L. inter stipulantem* 83. §. *sacram* 5. *ff. de verb. oblig.*

II. Qui cum tutoribus suis de sola portione administratæ tutelæ egerat et transegerat, adver-

sua eosdem tutores, ex persona fratris sui cui heres extiterat, agens, præscriptione factæ transactionis non summoveri, hac nostra regula innixus docuit Ulpianus *l. qui cum tutoribus* 9. *pr. ff. de transact.*

III. Cum militi castrensium bonorum alius, ceterorum alius heres existit, et debitor alteri heredum obligatus vult compensare quod ab alio debetur, hunc audiendum non esse monuit Papinianus *l. cum militi* 16. *pr. ff. de compensat.* Creditor enim personarum diversitate fretus, compensare non cogitur quod debitori suo non debet. *L. in rem suam* 18 §. 1. *ff. eod.*; *l. ejus* 9. *Cod. eod.*

§. XXXV.

Hinc argumentum aliud *a diversitate locutionis* (a), quo *diversa verba diversum effectum importare dicimus* (b), nisi manifesta ratio aliud suadeat (c).

(a) *Discretivam* appellant. *V. Rot. Rom. in Fanen. legitimar.* 21. *Maii* 1792. *num.* 5. *cor. Soderino*, *in Romana pecuniaria quoad sequestr.* 26. *April.* 1793. *num.* 13. *cor. Priolo*, *in Alatrina beneficii* 12. *Febr.* 1802. *num.* 7. *cor. Resta*, *Rot. Florentin. in Thesaur. Ombros. Tom.* 3. *dec.* 71. *num.* 8.

(*b*) Hinc I. Optime animadvertit Constantinus *l. si idem 7. Cod. de Codicill.*, si idem Codicilli quod testamenta possent, cur diversum his instrumentis vocabulum mandaretur, quæ vis ac potestas una sociasset?

II. Si testatrix familiares omnes, quibus alimenta legavit, adstringere voluisset ut ea in domo heredis ipsi reciperent, cur de uno dixit = *vita sua durante stia in casa colla tavola* =, de ceteris vero = *lascio a loro la tavola finchè viveranno?* =, ut recte ratiocinatur *Rot. Rom in Spoletana Alimentor.* 22. *Jun.* 1792. *cor. Soderino*.

(*c*) Fidecommissa in hæc verba relicta sunt = *Libertis libertabusque meis fundum illum dari volo, ut qui ab his decesserit, portio ejus reliquis adcrescat, itaut ad novissimum pertineat: post cujus novissimi decessum, ad Rempublicam Arelatensium pertinere volo. Hoc amplius libertis libertabusque meis habitationes in domo quandiu vivent: quam domum post mortem eorum ad Rempublicam pertinere volo* =. Quæsitum est: defunctis quibusdam ex libertis, quibus habitatio relicta erat, an portiones domus in quibus hi habitaverant, jam ad Rempublicam pertineant? Locutionis diversitas Reipublicæ favere videbatur, quandoquidem jus adcrescendi in fundi legato expressum, ad habitationem quod attinet fideicommittens præterit. Sed

manifesta ratio hic aliud suadet. Sive enim attendatur via et potestas particulæ connectentis *hoc amplius*, quæ naturâ suâ superius expressa repetit *l. cum servus* 18. §. 1. *ff. de cond instit. l. avia* 77. *pr. ff. de cond. et dem.*, sive spectetur specialis indoles juris adcrescendi, quod in legato habitationis utique locum habet post quæsitum emolumentum etsi non expressum, secus ac in legato proprietatis *arg. l.* 1. §. *interdum* 3. *ff. de usufruct. adcrescend.*, satis patet cur fideicommittens diverse loquutus sit, quamvis idem in utroque legato voluerit Hinc locutionis diversitate spretâ respondit Scævola, quoad aliquis eorum viveret quibus habitatio relicta fuit, fideicommissum Reipublicæ non deberi. *L. codicillis* 34. *pr. ff. de us. et usufruct. Add. decis. Rot. Roman. in Romana Canonis* 12. *Mart.* 1802. *cor. de Bayane*.

§. XXXVI.

Ab Ethymologia argumentum sumimus, quotiens, a vocabulorum derivatione, sive vera sive Prudentum auctoritate adumbrata, ipsorum vim et potestatem deprehendimus (*a*).

(*a*) Sic ex. gr. I. Testamentum ex eo appellari dicunt, quod sit testatio mentis *pr. Inst. tit. de*

testam. ordin. Hinc testamentum facere non possunt Impuberes, quia nullum eorum animi judicium est: item furiosi, quia mente carent §. 1. *Inst. tit. quib. non est permiss. fac. testam.*

II. Mutui datio ab eo appellata est, quia de meo tuum fiat *l. mutuum* 2. §. *appellata* 2. *ff. de reb. cred.* Hinc si non fiat tuum, non nascitur obligatio *ibid.*, ideoque si pupillus mutuam pecuniam dederit sine tutoris auctoritate, non contrahit obligationem, quia pecuniam non facit accipientis §. *nunc admonendi* 2. *Inst. tit. quib. alienar. licet vel non.*

III. Furtum a *furvo*, idest *nigro* dictum Labeo ait, quod clam et obscure fiat, et plerumque noctu: vel a *fraude* ut Sabinus ait: vel a *ferendo* et auferendo; vel a græco sermone, qui φῶρας appellant fures: hinc, arguit Paulus, sola cogitatio furti faciendi non facit furem *l.* 1. *pr. et* §. 1. *ff. de furt.*

IV. Possessio appellata est, ut Labeo ait, a pedibus, quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo qui ei insistit. *L.* 1. *pr. ff. de adquir. vel amitt. possess.* Hinc Neratius et Proculus tradiderunt, solo animo non posse nos adquirere possessionem, si non antecedat naturalis possessio *l. possidere* 3. §. *Neratius.* 3. *ff. eod.*

V. Novatio a *novo* nomen accepit, et a nova obligatione *l.* 1. *pr. ff. de novat.* Hinc pupillus sine tutoris auctoritate novare non potest. *L. novare* 20. § 1. *ff. eod.*

§. XXXVII.

Omnes loquendi modi, rerum comprehensione inspectâ, ad tria capita reduci possunt. Aut enim res quasdam, vel adjecto numero, vel alia ratione definimus (*a*), et *particulari* sive *singulari* oratione uti dicimur; aut verba usurpamus, quæ omnia ejusdem generis aperte comprehendant (*b*), et *universalis* oratio est; aut denique, nullo adjecto numero, nullaque adposita universitatis notâ, genus aliquod pure et simpliciter indicamus (*c*), eamque locutionem *Indefinitam* dicere solemus.

Jamvero, prioris et alterius locutionis significatio interpretatione non indiget; ad tertiam autem quod attinet, juris regula est = *Indefinitam locutionem æquipollere universali* = (*d*).

(*a*) Veluti = unus heres meus = *L. si ita relictum* 43. §. 1. *ff. de legat.* 2. = Lumina quæ nunc sunt = *L. si servitus* 23. *ff. de servitut. præd. urban.*

(*b*) Veluti = omne = *L. si cui servi* 52. *pr. ff. de legat.* 1., *L. scribit* 34. *pr. ff. de aur. argent.*

mund. = quodcumque = *cit. l* 31. §. 1. *ff. de aur. etc* = quisquis = *L. hoc articulo* 29 *pr. ff. de hered. instit.*

(c) Veluti = heres meus = Filius = Lumina = *V. not. seq.*

(*d*) Hinc I. Si ita relictum fuerit = *quantum heres meus habebit, tantum Tithaso dari volo* = pro eo est, quasi ita scriptum sit = *quantum omnes heredes habebunt* = *L. si ita relictum* 43. *pr. ff. de legat.* 2.

II. Si plures gradus sint heredum, et scriptum sit = *heres meus dato* =, ad omnes gradus hic sermo pertinet, sicuti hæc verba = *quisquis mihi heres erit* = *L. si plures* 98. *ff. de legat.* 3.

III. Si quis *filio* tutorem dederit, et plures filios habeat, an omnibus dedisse videatur, quæri potest. De hoc quidem Pomponius dubitat: sed magis est, ut omnibus dedisse videatur. *L. si quis ita* 16. §. 1. *ff. de testam. tutel.*

IV. Si servitus ita imposita fuerit = *ne luminibus officiatur* =, ambigua est scriptura, utrum ne his luminibus officiatur quæ nunc sunt, an etiam his quæ postea quoque fuerint? Et humanius est, verbo generali omne lumen significari, sive quod in præsenti, sive quod post tempus conventionis contigerit. *L. si servitus* 23. *ff. de servitut. præd. urban.*

§. XXXVIII.

Cum docente Hermogeniano (*a*), quæ longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos observata, velut tacita conventio, non minus servari debeant quam ea quæ scripta sunt: cum Callistrato teste (*b*), optima sit legum interpres consuetudo: cumque Ulpiano et Paulo monentibus (*c*), minuendarum litium causa, vetustas pro lege habeatur, maximi semper ponderis habitum fuit argumentum, quod dicimus *ab Observantia*, cujus ope obscura quæque vel ambigua, ex eo quod voluntariis actibus, nemine contradicente jampridem factum est, interpretamur (*d*).

(*a*) *L. sed et ea* 35. *ff. de legib.*
(*b*) *L. si de interpretatione* 37. *et seq. ff. eod.*
(*c*) *L.* 1. *in fin.*, *L.* 2. *pr. ff. de aqu. et aqu. pluv. arcend.*
(*d*) Hinc I. Si probetur, creditorem per certos annos minores usuras accepisse, eum deinceps majores ex stipulatu petentem, taciti pacti exceptione repelli, responderunt Severus et An-

toninus *L. adversus* 5. *Cod. de usur. V. tamen supra* §. *XXV. not. d. num.* 3.

II. Debitor annuæ cujuscumque pensionis, qui trium cohærentium sibi annorum apochas securitatesque protulerit, superiorum quoque temporum pensiones solvisse præsumitur. *L. quicumque* 3. *Cod. de apoch. publ. ibiqu. Brunnemann.*

III. Observantia denique fidissima interprete, ambigua pacta declarari, obscura supremæ voluntatis elogia patefieri, jurisque nodos et legum ænigmata solvi, passim docent Rota Romana *dec.* 32. *cor. Peralta, in Ferrarien. Transact. super aperit. or.* 18. *Jun.* 1792. *cor. de Bayane, in Beneventana nunciat. nov. oper.* 25. *Jun.* 1792. *cor Soderino, in Narnien. manutent.* 4. *Jul.* 1792. *cor. Priolo, in Romana seu Portuen. jur. pascend.* 4. *Mart.* 1793. *cor. Cesarei, in Ferrarien. Laudi quoad tertium caput* 12. *April.* 1793. *cor. Acciajuoli, in Urbevetana Immiss. super caut. Angel.* 4. *Jun.* 1801. *cor. Bardaxi, in Romana Contract.* 26. *Jun.* 1801. *cor. eod.*, et Rota Florentina in *Thesaur. Ombros. Tom.* 7. *dec.* 29., *in Select. Tom.* 1. *par.* 1. *dec.* 26, *Tom.* 5. *par.* 1. *dec.* 8., *dec.* 43.

§. XXXIX.

A diversis quidem illationem non fieri, supra observavi; sed simul opportune monui, sæpe ac sæpius oportere, ut a certis et manifestis, prudenti consilio ad similia procedatur (*a*).

Hinc magni roboris argumentum a *paritate rationis*, quo = *ubi eadem est ratio, eandem esse dispositionem dicimus* = (*b*).

(*a*) *V. supr.* §. *XXXIV.*

(*b*) Sic ex. gr. I. Patre deportato, ac proinde quasi mortuo, desinunt liberi in potestate ejus esse. Hinc *pari ratione* arguit Imperator, si is qui in potestate parentis est, in insulam deportatus fuerit, desinit esse in potestate parentis §. 1. *Inst. tit. quib. mod jus patr. pot. solv.* II. Si familia furtum fecisset, utilissimo edicto proposuerat Prætor, non in singulos pœnæ persecutionem dari, sed sufficere id præstari quod præstandum foret, si unus liber furtum fecisset *l.* 1. *pr. ff. si famil. furtum etc.* Quæsitum est, an idem et in actione damni injuriæ observari deberet? Respondit Gajus, idem esse observandum: cum enim circa furti actio-

nem hæc ratio sit, ne ex uno delicto totâ familiâ dominus careat, eaque ratio similiter et in actionem damni injuriæ interveniat, sequitur ut idem debeat æstimari *l. illud* 32. *ff. ad Leg. Aquil.*

III. Eadem ratione, quæcumque contra nautas, caupones, stabularios de furto constituit Prætor, de damno quoque intelligi debere, non esse dubitandum, idem Gajus docuit *L. nauta* 5. §. 1. *ff. nautæ caupones etc.*

IV. Stipulatio hoc modo concepta = *si quis in Capitolium ascenderit, decem dare spondes? si quis a me decem petierit, tot dare spondes?* = nemo dubitat quin ex incertæ personæ facto vim obligandi habere possit. Pari itaque ratione idem respondendum docuit Javolenus cum quis ita stipulatus fuerit = *si qua mihi nupserit, decem dotis ejus nomine dare spondes?* = *L. a Titio* 108 *pr. ff. de verb. oblig.* Videsis *Rot. Florentin. in Thes. Ombros. Tom.* 12. *dec.* 51. *num.* 27.

§. XL.

Ad supervacuæ repetitionis molestiam, verborum parsimoniâ vitandam, sæpe solemus, ad ea quæ antea vel fecimus, vel diximus, id de quo nunc agitur, verborum contractione referre.

Hinc argumentum frequentissimum, *a Relatione* nuncupatum, cui congruenter hæ regulæ receptæ

I. Simplex referens nil probat sine relato (*a*):

II. Referens, non robur tantum, sed et interpretationem recipit a relato (*b*):

III. Relatio, ad proxima, non ad remotiora, *plerumque* fieri debet (*c*).

(*a*) *L. ult. ff. de probation.*, *Nov.* 119. *cap.* 3., unde sumpta *auth. si quis in aliquo Cod. de edend.* Vid. ad ornat. *l. si quæ sunt* 5. *ff. fam. ercisc.*, *l. procurator* 7. *Cod. de edend.*

(*b*) Hinc I. Licet Codicillis hereditas dari non possit, tamen si quis ita in testamento scripserit = quem heredem codicillis fecero, heres esto =, valet institutio, quia hereditas ex testamento data videtur. *L. institutio* 10 *pr. ff. de cond. instit.*, *L. asse toto* 77. *ff. de hered. instit.*

II. Si testamento scriptum fuerit = quantum codicillis Titio legavero, ei do lego =, licat codicillis, formæ vitio fortasse laborantibus, legatum explicetur, tamen ex testamento valet. *L. si ita scripsero* 3. *ff. de cond. et dem.*

III. Si judex aliquem sic condemnet, ut quod habet ex testamento vel codicillis Mævii resti-

tueret Titio, sic accipiendum est, quasi quantitatem nominaverit, quæ testamento vel codicillis relicta est. *L. ait prætor* 5. §. 1. *ff. de re judic.*

Add. decis. Rot. Roman. de qua supra § *XXXV. not. c. in fin.*

(*c*) *Plerumque* dixi. Hinc enim regulæ quam nullas legum textus confirmat, adversari potius videtur Paulus *L. nom quod* 4. §. *ult. ff. de penu legat.* Hinc spretâ opinione Glossæ in *L. si idem* 11. *in fin. ff. de Jurisd.* quam improbat Gothofredus *ad eand. leg.*, et insuper habito argumento levissimo a *L.* 1. §. *deinde* 9 *ff. de postuland.*, merito receptum est, totiens hanc regulam perdere officium suum, quotiens *convenientiæ* ratio aliud exigere videatur. *V. dec. Rot. Florentin. inter Recentior. ann.* 1798. *Tom.* 2. *dec.* 23.

§. XLI

In toto et partem contineri (*a*), ac proinde semper specialia generalibus inesse (*b*), notissima sunt Juris nostri axiomata.

Si quis itaque et de genere, et de specie, diversum aliquid constituerit, perbelle quæritur, cujus causa potior haberi debeat? Respondet Papinianus (*c*) = *in*

toto jure generi per speciem derogatur, et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est =.

Hinc argumentum validissimum *a specie generi derogante* (*d*).

(*a*) *L. in toto* 113. *ff. de reg. jur.*
(*b*) *L. semper* 147. *ff. eod.*
(*c*) *L. in toto* 80. *ff. eod.*
(*d*) Argumenti hujus vis et potestas, quæ vere in toto jure dominatur, passim agnoscitur in doctrina de Legibus, de Rescriptis, de supremæ voluntatis Elogiis, de Contractibus. Hinc
I. Sanctio legum, quæ novissime certam pœnam irrogant, iis qui præceptis legis non obtemperaverint, ad eas species non pertinet, quibus ipsa lege pœna specialiter addita est. *L. sanctio* 41. *ff. de poen.*
II. Jurisdictio per generales litteras attributa, per speciales (quotum ad ea quæ specialiter exprimuntur) penitus enervatur, licet ipsæ de prioribus non faciant mentionem. *Cap. Pastoralis* 14. *X. de Rescript., cap. studuistis* 2. *X. de offic. legat.*
III. Is, cui *generaliter* indultum est, ut libere sibi liceat appellare, in vocem appellationis prorumpere nequit, si causa aliqua delegatis Judicibus *specialiter* commissa fuerit, sublato

remedio appellationis. *Cap* 1 *X. de Rescript.*

IV. Qui patrem et filium pro parte heredes instituerat, et invicem substituerat, reliquis coheredibus datis, post completum assem ita scripsit = *hos omnes invicem substituo* =. Quæsitum est, an commemoratione *omnium*, patrem et filium substitutioni coheredum miscuisset? Respondit Papinianus, contrariam sententiam magis esse verisimilem, propter *specialem* inter patrem et filium substitutionem *l. coheredi* 41. §. *qui patrem* 5. *ff. de vulg. et pupill. substit.*

V. Legatum *generali* sermone relictum *species* eas non comprehendit, quæ sive prius sive postea alii legatæ sint. *L. uxorem* 41 §. *Felicissimo* 3., *l. servis urbanis* 99. §. *ult.*, *l. heres meus* 100. §. 1. *ff. de legat.* 3., *l. a peculium* 10. *pr. ff. de manumiss. testam.*, *l.* 1. *pr. ff. de aur. arg. mund.*, *l. quæsitum* 12. §. *ult. ff. de instruct. vel instrum legat.*, *l. servo* 15. *ff. de pecul. legat. Add. decis. Rot. Roman. in Ferrarien. laudi quoad tertium caput* 12. *April* 1793. §. 9. *cor. Acciajuoli.*

VI. Legatum alimentorum, libertis *omnibus* ex. gr. *generaliter* relictum, ad eos non pertinet, quibus annuum aliquid *specialiter* datum est *l. alimenta* 16. §. *Basilica* 2., *l. Stichus* 20. *pr. ff. de alim vel cib. legat.*

VII. Doli clausula, quæ stipulationibus subii-

citur, non pertinet ad eas partes stipulationis, de quibus nominatim cavetur. *L. doli* 119., *junct. l. stipulationem* 53. *ff. de verb. oblig.*

Utcumque tamen hæc vera sint, cavendum maxime, ne argumenti hujus prætextu creditorum juribus officiatur, qui nexu aliquo firmo et immutabili, generali licet cautione, rebus suis antea prospexerunt. Hinc qui *generaliter* bona debitoris pignori accepit, eo potiorem esse, cui postea prædium ex his bonis datur, Papinianus docuit *l. qui generaliter* 2. *ff. qu. pot. in pign. hab.* Et merito; ex generali etenim obligatione, debitoris arbitrio minime coarctanda, potior habendus est creditor, qui antea contraxit, et quem non oportet ab eo qui postea credidit inquietari. *L. si generaliter* 6. *Cod. eod.*

§. XLII.

Postremo denique ex communibus argumentis, quod dicimus *a Verisimili*, illud monemur, ut in omni interpretatione, quod verosimilius videtur opportune sequamur (*a*).

(*a*) *L. in obscuris* 114. *ff. de reg. jur.*

Hinc I. Cum non sit *verisimile*, quem compulsum in Urbe inique indebitum solvisse, cum potuerit jus publicum invocare, hujusmodi præ-

sumptioni debet apertissimas probationes violentiæ opponere. *L. ult. pr. ff. quod met. caus.*
II. Si testes omnes ejusdem honestatis et existimationis sint, et ex his quidam aliud dixerint, licet impari numero, confirmabit Judex motum animi sui argumentis et testimoniis, quæ rei aptiora, et *vero proximiora* esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, et testimonia, quibus potius lux veritatis adsistit. *L. ob carmen* 21. §. *si testes* 3. *ff. de testib.*
III. Vir uxori, *quandocumque liberos habuisset*, fundum legavit. Mulier, divortio facto, liberos ex alio procreavit: hinc soluto secundo matrimonio, ad priorem maritum rediit. Non intelligi expletam conditionem docuit Julianus, quia *verisimile* non est, de his liberis testatorem sensisse, qui se vivo ex alio suscepti fuissent. *L. cum vir* 25. *ff. de cond. et dem.*
IV. Cum avus filium et nepotem ex altero filio heredes instituisset, a nepote petiit, *ut si intra annum trigesimum moreretur, hereditatem patruo suo restitueret.* Nepos, relictis liberis, intra aetatem præscriptam vita decessit. Fideicommissum conjectura pietatis defecisse; quasi minus scriptum inveniretur, quam dictum fuerit, respondit Papinianus *l. cum avus* 102. *ff. de cond. et dem.*, intelligens, non esse *verisimile*, testatorem si de nepotibus cogitasset, ta-

lem fecisse substitutionem. *L. generaliter* 6. *Cod. de impub. et al. substit.*, *l. cum acutissimi* 30. *Cod. de fideicomm.*

V. Eum, qui ita stipulatur = *mihi et Titio decem dare spondes?* =, *verosimilius* est semper una decem communiter sibi et Titio stipulari: sicuti qui legat Titio et Sempronio, non aliud intelligitur, quam una decem communiter duobus legare. *L. eum qui* 56 *pr. ff. de verb. oblig.*

VI. Obligatione generali rerum, quas quis habuit habiturusve sit, ea non continentur, quæ *verisimile* est, quemquam specialiter obligaturum non fuisse, veluti suppellex, vestis, et si qua alia sunt, quæ in usum quotidianum habentur. *L. obligatione* 6. *et seqq. ff. de pignor et hypoth.*

VII. Insulam vendidi et dixi, *prioris anni pensionem mihi*, *sequentium emptori accessuram: pignorumque ab inquilino datorum jus utrumque secuturum*. Si ad utramque pensionem pignora non sufficiant, quis præferendus? Respondit Paulus, *verisimile* esse id actum, ut primam quanque pensionem pignorum causa sequatur. *L. insulam* 13. *ff. qui pot. in pign. hab.*

VIII. Si ita scriptum sit = *filio filiisque meis hosce tutores do* =, masculis dumtaxat tutores datos Servius ait: quoniam testator a singulari casu = *filio* = ad pluralem videtur transiis-

se, continentem eundem sexum. Sed magis *rationabile* Pomponio visum est, ut singulari casu de filio senserit, deinde plenius omnibus liberis prospexisse, in tutore dando voluerit. *L. Servius* 122. *ff. de verb. signif.*

CAP. IV.

De obscuris vel ambiguis ad minimum redigendis.

§. XLIII

Plura hucusque adduxi legalis hermeneuticæ subsidia: quæ in obscura vel ambigua voluntate declaranda, Interpretis curam juvare possint.

§. XLIV.

Sed si et ipsa, ad tenebras omnes felici conatu disperdendas, manca quodammodo et infirmiora videantur, percelebre superest Ulpiani monitum (*a*), quo freti = *semper in obscuris quod minimum est sequimur* = (*b*).

(*a*) *L. semper in obscuris* 9., *l. semper in stipulationibus* 34. *ff. de reg. jur.*

(*b*) Hinc I. Legato fundo Corneliano, cum duos ejusdem nominis haberet testator, alterum majoris, alterum minoris pretii, minor fundus legatus videbitur, si majorem reliquisse docere non potuerit legatarius. *L. cum servus* 39. §. *scio* 6. *ff. de legat.* 1.
II. Si ita scriptum = *quantum unus heres habebit, tantum Titiaso heredes meos dare volo* =, minor pars erit accipenda, quæ venit in legato. *L. si ita relictum* 43. §. 1. *ff. de legat.* 2.
III. Si diversis summis condemnent Judices, minimam spectandam esse, post Julianum docuit Paulus *l. inter pares* 38 §. 1. *ff. de rejudicat.*
IV. Si cum utriusque legis crimina objecta fuerint, Præses ita interlocutus sit = *vim fecisti* =, nec distinxerit, utrum Julia publicorum, an Julia privatorum damnaverit, mitiorem legem (idest privatorum) sequendam esse, monet Ulpianus *l. si Praeses* 32. *ff. de poen.*

§. XLV.

Superest inquam; cavendum etenim, ne eo utamur nisi postremi subsidii loco, quotiens re quaqueversus excussâ, nulla alia ad veritatem assequendam Interpreti aperiatur via (*a*).

(*a*) Hinc I. Nummis indistincte legatis, hoc qui-

dem receptum est, ut exiguiores legati videantur: sed tunc demum, si neque ex consuetudine patrisfamilias, neque ex regionis unde fuit, neque ex contextu testamenti possit aliud apparere. *L. nummis* 75. *ff. de legat.* 3.

II. Si is qui lancem maximam, minorem, minimam relinquebat, ita scripserit = *lancem minorem illi lego* =, satis apparet, de qua testator senserit, ac proinde mediæ magnitudinis lancem videri legatam, merito respondit Labeo *l. qui lancem* 31. *ff. de aur. arg. mund.*

III. Dotis stipulationem *arbitratu soceri*, non demonstrata licet re vel quantitate, non solum arbitrio quoque detracto valere placuit, sed neque ad minimum redigendam esse, manifesti juris est: quandoquidem dotis quantitas pro modo facultatum patris, et dignitate mariti constitui potest. *L. cum post divortium* 69. §. *gener* 4. *ff. de jur. dot*

IV. Alimentis legatis, non adjecta quantitate, ante omnia inspiciendum est, quæ defunctus solitus fuerat legatario præstare: deinde quid ceteris ejusdem ordinis reliquerit; quod si neutrum apparuerit, nequaquam minima quantitas sequenda erit, sed ex facultatibus defuncti et caritate legatarii modus statui debebit *L. cum alimenta* 22. *pr. ff de alim. vel cib. legat.*

CAP. V.

De Obscuritate perenni.

§. XLVI.

Quæ legitimæ interpretationis auxilia superioribus curis in medium adduxi, opportuna quidem et maxime salutaria comperiemus, ubi de obscuritate vel ambiguitate res sit, quæ saltem terminos aliquos exhibeat, nulla ceteroquin primo intuitu apparente justæ prælationis ratione.

§. XLVII.

Verum enimvero, si tanta fuerit perennis obscuritatis caligo, ut nullo modo quæ dicta vel scripta sunt intelligi possint, in re plane desperata hæ regulæ tenendæ

I. Si de lege, vel rescripto agatur, Principis oraculum omnino consulendum (a);
II. Si de ceterorum actibus, ea quæ ita scripta sunt, ut nullo modo intelligan-

tur, perinde haberi debent, ac si scripta non essent (*b*):

III. Cavendum tamen, ne hoc velamine inscitiam suam potius excusare velit Interpres, quam modeste fateri (*c*).

(*a*) *L. ult.* §. 1. *Cod. de legib., arg. l. Neratius* 191. *ff de reg. jur.*

(*b*) *L. quæ in testamento* 2. *ff. de his quæ pro non scipt. hab., l. quo tutela* 73. §. *quæ in testamento* 3. *ff. de reg. jur.*; quo pertinent quæ de Persii Satyris dixisse ferunt D Hieronymum = *qui non vult intelligi, debet negligi* =.

(*c*) Opportune *Jo. August Ernest. Init. solidior. doctrin. par.* 2. *cap.* 2. §. 26. = Cavendum, „ ne si ipsi verborum potestatem ignoramus, inter inanes sonos referamus statim: quoniam „ et si nos vim verbi alicujus ignoramus, aliis „ tamen ea cognita esse potest =.

HERMENEUTICAE LEGALIS

LIBRI IV.

LIB. III.

De speciali diversorum Actuum interpretatione.

§ XLVIII.

Legalis hermeneuticæ regulæ, quæ curas nostras hactenus exercuerunt, obscuris vel ambiguis actibus quibuscumque declarandis lucem aliquam afferre possunt.

A generalibus itaque ad specialia gradum facientibus, peculiares quidam Canones se nobis offerunt ad

I. Leges,
II. Sententias,
III. Ultimae voluntatis elogia,
IV. Contractus interpretandos comparati, de quibus distinctis capitibus disserendum.

CAP. I.

De Interpretatione Legum.

§ XLIX

Civilem Jurisprudentiam, qua cultiores Europæ Gentes utuntur, ita conflatam esse, ut propriis silentibus legibus, Romana jura, quemadmodum fere prædixerat Cicero (*a*), in subsidium veluti advocentur, ignorat nemo (*b*).

(*a*) = Non enim Populo Romano, inquit ille, sed „ omnibus bonis firmisque populis leges da- „ mus = *de legib. lib.* 2. *cap.* 14.
(*b*) *V. Heinecc. Elem. jur. civ. sec. ord. Instit.* §. 17.

§. L.

Cum itaque et indigenæ et exteræ leges (si exterum dici potest quod in Civitatem jure receptum) quotidie ab Interpretis cura lumen exposcant, hinc præsens caput duo articuli conficient, quorum primus de interpretatione *legum quarumcumque*, alter de interpretatione *legum Romanarum* doctrinam, concisa tractatione exhibebit.

ART. I.

De interpretatione legum quarumcumque.

§. LI.

Si semper leges interpretari solius Principis esset, prout ipsius est condere, ut Justinianus innuere videtur (*a*), tota capitis hujus doctrina ad supervacua referri mereretur, ob ea quæ supra observavi §. XVI.

Sed cum alia profecto fuerit Imperatoris mens (*b*), cumque proinde et legum interpretatio privati Jurisconsulti curas, ingenium, sagacitatem frequenter expostulet, distincte videndum

I. Quando legum interpretatio vel soli Principi reservetur, vel privato quoque Jurisconsulto pateat:

II. Quæ peculiares regulæ tunc ab ipso observandæ.

(*a*) *L. ultim. Cod. de legib.*
(*b*) *V. Vinn. quæst. jur. select. lib.* 1. *cap.* 2.

§. LII.

Ad primam quæstionem quod attinet, hæ distinctiones tenendæ.

I. Quotiens de interpretatione agitur, quæ statim ac emissa fuerit, omni disputationi finem imponat, ea soli Principi reservatur (*a*):

II. Interpretatio *usualis*, quæ vel longa Populi consuetudine, vel rerum similiter judicatarum auctoritate firmata sit, pari jure censetur, ac si a Principe profecta esset (*b*):

III. Interpretationi, quam *doctrinalem* dicimus, nullus est locus, si lex neque obscura, neque ambigua, sed tantum dura nimis videatur (*c*):

IV. Idem plane dicendum, si lex adeo obscure scripta sit, ut nulli cedat legalis hermeneuticæ præsidio (*d*):

V. Quoties autem vel ex similibus juribus, vel argumentis aliis, obscura aut ambigua Principis voluntas probabili ratione deprehendi potest, tunc privati licet Interpretis opera minime despicienda (*e*).

(*a*) *V. supr.* § VII.
(*b*) *V. supr.* §. VIII.
(c) Apposite Constantinus *l.* 1. *Cod. de legib.* = In„ ter æquitatem jusque interpositam interpreta„ tionem Nobis solis et oportet et licet inspi„ cere = .

Hinc Ulpianus *l. prospexit* 12. §. 1. *ff. qui et a quib. manumiss. etc.* de lege loquens, qua mulier quæ divertit omnes omnimodo servos suos manumittere vel alienare prohibetur, ne mancipia quæstioni subducantur, legis ipsius verbis allatis = *ut ne eum quidem servum, qui ex„ tra ministerium ejus mulieris fuit, vel in agro „ vel in provincia, possit manumittere vel alie„ nare* =, hæc memorabilia adiicit = *quod qui„ dem perquam durum est: sed ita lex scripta „ est* = .

(*d*) *V supr* §. *XLVII. num* 1.
(*e*) Cum enim Theophrasti monitu jura constitui oporteat in his quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, non quæ ἐκ παραλόγου *l. jura* 3. *ff. de legib.*, *l. antiqui* 3 *in fin. ff. si pars hered. petat.*, quandoquidem non possunt omnes articuli singillatim legibus comprehendi: hinc si in aliqua causa sententia earum manifesta est, is qui jurisdictioni præest, ad similia procedere atque ita jus dicere debet. *L. neque leges* 10, *l. non possunt* 12. *ff de legib*; Nam ut ait Pedius, quotiens lege aliquid, unum vel alterum introdu-

ctum est, bona occasio est, cetera quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione, vel certe jurisdictione supplere *l. nam ut ait* 13. *ff. eod.*

§. LIII.

Huic itaque operæ juvandæ multa et ratione, et jure, præter generales regulas, constituta sunt, quæ distincto numerorum ordine sequuntur.

§ LIV.

Quod Principi placuit legis habet vigorem (*a*), quin vel ipse placiti sui rationem reddere teneatur (*b*), vel civibus liceat, non secundum legem, sed de lege judicare (*c*).

(*a*) *L.* 1. *pr. ff. de constit. Princip.*
(*b*) Hinc, non omnium quæ a majoribus constituta sunt, rationem reddi posse animadvertit Julianus *l. non omnium* 20. *ff. de legib.*, et ideo rationes eorum quæ constituuntur, inquiri non oportere, ne multa ex his quæ certa sunt subvertantur, monuit Neratius *l. et ideo* 21. *ff. eod.*
(*c*) Apposite D. Augustinus, quem refert Gratianus *can. in istis* 3. *dist.* 4. = In istis temporali-

„ bus legibus, quamquam de iis homines judi-
„ cent cum eas instituunt, tamen cum fuerint
„ institutæ, non licebit Judici de ipsis judicare,
„ sed secundum ipsas =.

§. LV.

Verba legis, utpote ab Eo prolata, qui caput est civitatis, eo semper sensu accipienda, quem fert communis loquendi usus, omni prorsus ἀκυρολογία, sive ut ajunt, sermonis impropriotate rejecta (*a*).

(*a*) Huc pertinet quod de M. Pomponio Marcello refert Suetonius *de illustrib. Grammatic. cap.* 21. Cum enim Pomponius, latini sermonis exactor molestissimus, ex oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Capitone, et esse illud latinum, et si non esset, futurum = Certe jam „ inde mentitur, inquit, Capito. Tu enim Cæsar „ civitatem dare potes hominibus, verbis non „ potes =. *V. Horat. de art. poetic. vers.* 70. *et seqq.*

§. LVI.

Cum scire leges non sit, earum verba tenere, sed vim et potestatem (*a*), curabit Interpres, ne salvis legis verbis,

ejus sententia circumveniatur, quæ probabili ratione deprehendi possit (*b*); in re autem dubia monet Ulpianus, melius esse legis verbis servire (*c*).

(*a*) *L. scire* 17. *ff. de legib.*
(*b*) *L. contra legem* 29. *et seq. ff. eod*

Hinc ea semper reiicienda est interpretatio, quæ legis effectum plane destruat. Lex Julia et Papia, ex. gr. conditionem *si non nupserit* ita reprobat, ut ea perinde haberi debeat, ac si scripta non esset. *L. cum. tale* 72. §. *Maeviæ* 5, *l. mulieri* 74 *ff. de cond. et dem. V. Heinecc. ad L. Iul. et Pap. lib.* 2. *cap.* 16 Jamvero, si ita scriptum fuerit = *si Titio nupserit*, vel *si Ariciæ non nupserit* =, legis verba has conditiones non respuunt, utpote quæ mulieris nuptias absolute non impediunt. Sed si vel Titius indignus sit mulieris illius nuptiis, vel mulier ea sit quæ alicubi nuptias non facile possit invenire, non verba captanda, sed Legislatoris mentem attendendam esse docuerunt Gajus et Terentius Clemens, ut lex Reipublicæ utilis, sobolis scilicet procreandæ causa lata, interpretatione juvaretur. *L. cum ita* 63 §. 1., *l. hoc modo* 64. §. 1. *ff eod.*

Hinc opportune monuit Paulus *l. ad exhibendum* 19. *ff. ad exhibend.*, non oportere jus ci-

vile calumniari, neque verba captari, sed qua mente quid diceretur, animadvertere convenire.

(c) *L.* 1. §. *licet* 20. *ff. de exercitor. action.*

§. LVII.

Vulgatum axioma = *cessante legis rationе, cessat lex ipsa* =, tunc solum procedit, quum et vera legis ratio (cum praetextu non confundenda) (a) manifesto appareat, et ipsa in omni rerum positione plane defecisse comperiatur; alias locus hic valde lubricus cum cl. Averanio nostro dicendus (b).

(a) Legis praetextus tantum a ratione differt, quantum a veritate figmentum; solet enim nonnumquam sagax Legislator politica quadam ratione duci, quam caute silentio praeterit, aliam plane diversam, quae veri speciem habeat, substituendo. Callidum et avarum praetextus hujus exemplum Dione teste in *excerpt. Valesian. lib.* 77. dedit Caracalla percelebri Constitutione, de qua Ulpianus *l. in orbe* 17. *ff. de stat. homin. V. Spanhem. Orb. Roman. exercitat.* 2. *cap.* 4.

(b) *Interpretat. jur. lib.* 5. *cap.* 10.

§. LVIII.

In pœnalibus causis benignius interpretandum est (*a*), ac proinde interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt, potiusquam asperandæ (*b*).

(*a*) *L. factum* 155. §. *ult. ff. de reg. jur.*
(*b*) *L. penult. ff. de poen. V. supr.* §. *XXV. num.* 7.

§. LIX.

Si nova lex casus aliquos prætermittat, distinguendum.

I. Aut casus omissus ad novam legem nihil omnino pertinet, et prioribus legibus plane decidendus (*a*):

II. Idem dicatur, si aliquo modo pertineat quidem, sed nova lex vel jus singulare constituat (*b*), vel propter necessitatem lata aut recepta sit (*c*):

III. Ant denique, nullo juris singularis apparente vestigio, nullaque urgente necessitate, novam legem latam fuisse deprehendimus; et tunc probi Interpretis

erit Pedii montum sequi, de quo supra §. *LII. not. e.*

IV. Cavendum tamen, ne lex loquens de casu *simplici* traducatur ad casum *mixtum* (*d*).

(*a*) *V. supr. §. XXXIV. junct. arg. l. praecipimus* 32. *§. ult. Cod. de appellation.*

(*b*) *Jus singulare*, definiente Paulo *l. jus* 16. *ff. de legib.*, est quod contra tenorem communis rationis, propter aliquam utilitatem, auctoritate Constituentium ita introductum est, ut non sit producendum ad consequentias. *L. quod vero* 14. *ff. eod*, *l. quod contra* 141. *pr. ff. de reg. jur.*

Juris hujus exempla exhibent

I. *L. cum heredes* 23. *§.* 1. *ff. de adquir. vel amitt. possess.*, qua testatur Javolenus, singulari jure receptum esse, eos qui in hostium potestatem pervenerunt, jure rerum suarum retinere.

II. *L. peregre* 44. *§.* 1. *ff. eod.*, qua docente Papiniano, possessionem, ignorantes licet, per servos nostros adquirimus.

III. *L. justo errore* 4. *§. nondum* 3. *ff. de usurpat. et usucap.*, qua Marciano teste, nondum aditae hereditatis tempus usucapioni datum est, sive servus hereditarius aliquid comparat, sive defunctus usucapere coeperat.

IV. *L. singularia* 15. *ff. de reb. credit.*, qua Ulpiano referente, si tibi debitorem meum jussero dare pecuniam, ex mutuo obligaris mihi, quamvis nummos *meos* non acceperis.

Huc quoque pertinent *specialia* legis beneficia, quæ neque omnibus ceu *generalia*, neque certis personis aut rebus ceu *privilegia*, sed quibusdam personarum generibus tribuuntur, veluti minoribus, mulieribus, clericis, studiosis, militibus, rusticis, fisco. *V. Vicat vocabular. jur. utriusq. verb. Beneficium legis.*

(c) *L. quæ propter* 162. *ff.* de *reg. jur.*

(d) *Arg. l. Titiæ textores* 36. *ff. de legat* 1., qua Pomponius docet, si hoc modo legatum esset = *textores omnes, præter vernas* =, et rursus = *vernas omnes, præter textores* =, qui et verna et textor esset, neutri fuisse legatum.

Hinc 1. Textus in *l. ult. Cod. de negot. gest.*, quo Justinianus veterem dubitationem decidendo, nullam esse decrevit negotiorum gestorum actionem adversus eum qui contradixerit, et res suas administrari prohibuerit, non adversatur textui in *l. si ut proponis* 4. *Cod. de aedific. privat.*, qua socius ædificii qui ad refectionem ejus sumptus conferre detrectat, plane obligatur nummos pro portione sua erogatos alteri socio restituere. Ibi enim agitur de casu *simplici*, quo quis rebus plane alienis sponte se immiscet: hic de casu *mixto*, quo nego-

tium alienum ita cum proprio cohaeret, ut vigente communione separari non possit.

II. Licet Novella 4 *cap.* 3., è qua sumpta notissima *auth. hoc nisi Cod. de solut.*, sanxerit Imperator, non licere pecuniae creditori rem immobilem quam debitor offerat recusare, si ipse aliter solvere non possit, merito tamen receptum est, legis hujus beneficium nimime procedere, si quis debitoris substantiae *simpliciter* non crediderit, sed et fidejussorem acceperit, ad pecuniae restitutionem idoneum *V. Rot. Rom. dec.* 484. *cor. Bichio.*

III. Quamvis lex Edictalis Romae lata anno 1799 credita omnia post initium anni 1795. chartaceis *cedulis* confecta ad certos limites reduci jusserit, ab hac tamen censura creditum quoddam eximendum esse, regulae hujus potestate, rite putavit Romana Rota, eo quod etsi anno 1798. chartaceis *cedulis* confectum fuisset, tamen ante legem ipsam reductionem aliam, contrahentium placito passum erat. *V. decis.* (in *Terracinen. Reduction.* 5. *Jun.* 1801. *cor. Resta.*

§. LX.

Rescripta quoque Principis leges sunt (*a*); sed quia privatorum utilitatem plerumque respiciunt, de generali lege aliquid derogando, hinc in iis interpretandis, hisce animadversionibus utendum

I. Cum incivile sit, nisi omnibus mature perpensis judicare vel respondere (*b*), cumque et preces et earum instructio (*c*) rescriptis antecedere soleant, hinc omnia hæc, si fieri possit, in primis consulenda.
II. Publicæ utilitati, vel firmis ceterorum juribus, Principem beneficio suo officere voluisse, numquam præsumendum (*d*).
III. Licet beneficium Principis quam plenissime interpretari debeamus (*e*), attamen quod Princeps, alicui ob merita indulsit, neque ad exemplum trahendum est, nec plerumque personam egreditur (*f*).

(*a*) *L.* 1. *pr. et* §. 1. *ff. de Constit. Princip.*
(*b*) *Arg. l. incivile* 24 *ff. de legib.*
(*c*) Vulgo = *Informazione* =.
(*d*) *L. Praetor ait* 2. §. *merito* 10. §. *si quis a Principe* 16. *ff. ne quid in loco publ.*, *l. in fraudem* 7. *Cod. de annon. et tribut.*, *l. diligenter* 9. *Cod. de aquæduct.*, *l. rescripta* 7. *Cod. de precib. Imp. offer.*
(*e*) *L. Beneficium* 3. *ff. de constit. Princip.*
(*f*) *L.* 1. §. *ult. ff. eod.*, *l. Neratius* 191., *l. privilegia* 196. *ff. de reg. jur.*

ART. II.

De Interpretatione legum Romanarum.

§. LXI.

Hæc de interpretatione legum quarumcumque; verum, si de Romanis legibus explanandis res sit, subsidiis aliis, iisque maximi ponderis, indigebit Interpres, ne
I. Vel rerum antiquarum ignorantia,
II. Vel græcæ et latinæ linguæ inscientia,
III. Vel inordinatæ collocationis vitio,
IV. Vel pravæ lectionis errore decipiatur.

§. LXII.

Hos omnes rectæ interpretationis scopulos felici exitu superare conati sunt viri eruditissimi, qui post Alciatum nostrum, magno præeunte Cujacio, ut Scaligeri verbis utar, è latericia auream fecerunt jurisprudentiam; at quia longum esset, non dicam eorum opera, sed nomina tantum numerando percensere (*a*), compendiarii speciminis loco sufficiat in-

terum principalium subsidiorum fontes digito veluti indicasse, è quibus Romanarum legum Interpres adjumenta validissima haurire possit.

(a) Videsis *Eckard. Hermeneut. Jur. civ. inter varior. opuscul. ad culturem Jurispr. pertinent. Pisis* 1769 *Tom* 4.

§ LXIII.

Rerum antiquarum ignorationem primum esse dixi, eumque gravissimum scopulum, qui impolito Romanarum legum Interpreti paratur (*a*).

(*a*) Ad hunc scopulum plerique Interpretes offenderunt, qui ante Alciatum et Cujacium Jus civile Romanorum vel incomptis *Glossis*, vel inficetis *Commentariis*, onerare potius quam illustrare aggressi sunt.

§ LXIV.

Hunc vitabit, qui prioribus curis diurnâ nocturnâque manu versaverit *cl. Heineccii* Historiam Juris Civilis, et Antiquitatum Romanarum Syntagma, *Gravinæ* libros de ortu et progressu Juris

Civilis, *Muscovii* dissertationem de Sectis Sabinianorum, et Proculianorum: mox firmiore pede uberiores fontes aditurus, quos doctis sane et laboriosis operibus cultioris Jurisprudentiæ Studiosis aperuerunt *Cujacius*, *Donellus*, *Duarenus*, *Heraldus*, *Merillius*, *Grævius*, *Schultingius*, *Bynkershoekius*, *Everardus Otto*, *Meermanus*, *Averanius* noster, aliique de Romano Jure optime meriti, quos indicat *Jacobus Gothofredus* in compendiaria Bibliotheca Juris Civilis Romani.

§ LXV.

Scopulum alterum sæpe parat græcæ et latinæ linguæ minus exacta cognitio (*a*).

(*a*) Sic ex. gr. l. Si in *l. quærebatur* 2n. *ff. qui potior. in pign. hab.* legamus *hypothecam*, ut ferunt vulgati Codices, vix intelligere datum est, quid sibi velit Tryphoninus; legamus *hyperocham*, ut habent Pisani seu Florentini Pandectarum libri, et omnia plana erunt. *V. Cujac. observ. lib.* 4. *cap.* 45, *Guadagn. dissert. ad Græca Pandect. dissertat.* 6. *par* 1. II. *L. Græce* 7. § *illud commune* 8 *ff. de fi-*

dejuss. et mandat. docuit Ulpianus, fidejussores in duriorem causam adhibitos *omnino* non obligari. Doctores plerique, cum nativam et ingenuam vocabuli *omnino* significationem assequuti non essent, Jurisconsulti sententiam ita interpretati sunt, quasi dixerit, fidejussores illos *in solidum* quidem non obligari, sed tantum pro ea parte, quam debet reus principalis. Verum, hanc interpretationem a latini sermonis proprietate funditus abhorrere, luculenter demonstravit cl. Averanius *Interpret. jur. lib.* 2. *cap.* 3.

§. LXVI.

Huic præcavendo, præter Auctores de re grammatica utriusque linguæ tractantes, adjumento maximo erunt Interpreti cl. *Guadagnii* nostri dissertatio ad Græca Pandectarum, et Vocabularium utriusque juris, quod magno studio, ex aliorum laboribus confecit *Philippus Vicat*.

§. LXVII.

Ab inordinata fragmentorum compositione, quibus Romani Juris libri coagmentati, tertius exurgit scopulus, qui vulgari Interpreti sæpe resistit.

§ LXVIII

Ad hunc superandum magnopere juvabunt singularum legum tum inscriptiones, tum subscriptiones, de quorum utilitate adeundus *Jacobus Gothofredus* in præfatione Commentarii ad Digestorum Titulum de Regulis juris §. *IV*. (*a*).

(*a*) Sic ex. gr. *l. non vult 6. ff. de reg. jur.* separatim sumpta, non juris regulam, sed merum enunciatum exhibet, nullo usui futurum; at si conjungatur cum *l. fuit quæstionis 24. ff. de adquir. vel omitt. hæred.*, *l. licet pro herede 2. ff. si quis omiss. caus. testam.*, *l. qui pretio 8. ff. de mort. caus. donat.*, quæ eandem præseferunt inscriptionem, Ulpiani scilicet *lib. 7. ad Sabin.*, ipsius utilitas manifesta est.

§. LXIX

Quartus denique scopulus in prava legum lectione consistit, quam talem esse deprehendimus, si verba

I. Vel nullum habeant sensum:

II. Vel non idoneum:

III. Vel sententiam exprimant, quæ pas-

sum receptæ juris regulæ manifesto repugnet (*a*).

(*a*) *V. Eckard. loc. supr. cit.* §. 51.

§ LXX

Huic quoque elidendo suppetias afferent
I. Antiquiores, iique melioris notæ, manuscripti Codices (*a*):
II. Litterarum geminatio (*b*):
III. Nova paragraphorum distinctio (*c*):
IV. Interpunctionum immutatio (*d*):
V. Unius alteriusve litterulæ, sive adiiciendo, sive demendo, sive immutando, correctio (*e*):
VI. Unici vocabuli separatio, vel duorum conjunctio (*f*):
VII. Verborum, quæ Consultori potius quam Jurisconsulto tribuenda, accurata distinctio (*g*):
VIII. Emblematum, aut Glossematum rejectio (*h*):
IX. Græcæ versiones (*i*).

(*a*) Inter hos præ ceteris eminent Pisani seu Florentini Pandectarum libri, de quorum præstan-

tia *V. Brencmann. Histor. Pandectar.*, et cl. *Guadagni Dissert. de Florentino Pandectarum Codice etc.*, junctis iis, quæ docte quidem, sed nimis fortasse acerbe et aspere, superiore sæculo disputarunt duo Academiæ nostræ decora, *Guido Grandius*, et *Bernardus Tanuccius*.

(*b*) *L. si quis servum* 8. §. 1. *ff. de legat.* 2. ita scripta est = *si ita legetur: Sempronio decem, aut si noluerit, hominem Stichum lego, hoc casu duo sunt legata, sed uni contentus esse debet.* = Uni contentus? Priscianus vapulat. Lege per ἀναδίπλωσιν cum *ampl. Bynkershoek obs. Jur. Rom lib.* 4. *cap.* 25. = Unico contentus =, et vel ipso Prisciano judice, Paulus vincet.

(*c*) *L. recusare* 6. §. 2. *ff. ad Sctum Trebell* ita legitur = *Sed et ad filium, qui in potestate est, hoc senatusconsultum locum habet.* = Ad filium locum habet? En nova Prisciani querela. Sed accuratiore paragraphorum distinctione, omnis exulat solœcismus. Hinc ita legendum = §. 1. *Eo jure utimur, ut hoc senatusconsultum ad intestatos quoque pertineat, sive legitimi sive honorarii sint successores: sed et ad filium, qui in potestate est.* §. 2. *Hoc Senatusconsultum locum habet et in ceteris necessariis.*

(*d*) Antiquos manuscriptos Codices nullas interpunctiones præseferre, vulgo notum est. *V. Clerc art. critic. par.* 3. *sect.* 1. *cap.* 10. Hinc apposite Antonius Augustinus *Emendat lib.* 1. *Ci-*

ticis suadet, ut si quid aut iniquum, aut minus apte scriptum repererint quod facile punctis ablatis aut additis restituatur, id facere non dubitent.

Sic ex. gr. I. Si in *l. necessarium* 2. §. *exactis* 3. *ff. de orig. jur.* pro = *exactis Regibus, lege „ Tribunicia omnes hae leges exoleverunt* = virgulà tantum immutata, legamus = *exactis Re„ gibus lege Tribunicia, omnes hae leges exoleve„ runt* =, cum Pomponio conveniet, non historia tantum, sed et nativa verbi *exolesco* significatio.

II. *L.* 1. §. *illud sciendum* 10. *ff. de separation.* docet Ulpianus, eos creditores posse impetrare separationem, qui non novandi animo ab herede stipulati sunt; hinc quaerit §. 11., si satis acceperant ab eo, an impetrent separationem? Respondet: *non puto: hi enim sequuti sunt eum forte, quem movebit* =. Responsi hujus postrema verba vix habent sensum. Jamvero, si mutata interpunctione legamus = *non puto: hi enim sequuti sunt eum. Forte quem movebit: quid enim, si non satis idoneum acceperunt? et sibi imputent* etc. = omnia rite constant.

III. In judicio finium regundorum etiam ejus rationem fieri quod interest, docet Paulus *l. sed et loci* 4. §. 1. *ff fin. reg.* Quid enim si quis aliquam utilitatem ex eo loco percepit, quem vicini esse appareat? mox subjungit = *inique*

damnatio eo nomine fiet =. Sed cur *inique*, si etiam ejus ratio fieri debet, quod interest? Nonne *l. si commissa* 13. *pr. ff. rat. rem haber.* ipse Paulus tradidit, in computationem ejus quod interest omnino venire *quantum mihi abest, quantumque lucrari potui*? Relata Jurisconsulti verba = *inique damnatio eo nomine fiet* = clandat interrogationis nota, et Paulus cum Paulo consentiet.

IV. Tibi legatus est fundus, qui scribendi testamenti tempore tuus erat. Si eum vivo testatore alienaveris, legatum tibi deberi, docuisse videtur Celsus *l.* 1. *§. fin de reg. Catonian.*; Sed plane contrarium docet Imperator *§. sed si rem* 10. *Inst. tit. de legat.* Cui credendum? Utrique; si mutata interpunctione ita legamus = *Si tibi legatus est fundus, qui scribendi testamenti tempore tuus erat, si eum vivo testatore alienaveris: legatum tibi debetur* =. Tunc enim legatum illud conditionale esse deprehendimus, neque proinde Catonianae regulae subesse, quia ipsa ad conditionalia non pertinet. *L. cetera* 41. *§. tractari* 2. *ff. de legat.* 1.

V *L. cum is* 8 *pr. ff. qui et a quib. manumiss.* vulgo legitur = *Cum is qui sub conditione debet, manumittit fideicommissi causa, lex Aelia Sentia locum habet* =. Sed quomodo lex illa, quae libertatem impedit si manumissio in fraudem facta sit, *pr. Inst. tit. quib. ex caus. manum. non*

lic., locum habere poterit, si heres *fideicommissi causa*, ac proinde *sine fraude* manumiserit? Nudum hunc, auctoritate τῶν βασιλικῶν, secare conati sunt viri clarissimi Cujacius *observ. lib.* 4. *cap.* 31., et Nerius *analect. lib.* 1. *cap.* 8. effingendo siglas F C, easque pro *fideicommissi causa* legendo *fraudandorum creditorum causa*, vel *fraudationis causa*. Verum si cum acutissimo Guillelmo Best *rat. emendand. leg. cap.* 7 §. 9, solam interpunctionem immutando, legamus = *Cum is qui sub conditione debet, manumittit: fideicommissi causa lex Aelia Sentia locum habet*, = omni rejecto siglarum figmento, clarus, Africano dignus, et recepto juri conveniens patebit vexatissimae lectionis sensus.

(e) Hinc ex. gr. I. Si in *l. in testamento* 27. *ff. de cond et dem* pro *non tum esset*, duabus adjectis litteralis, legamus *non notum esset*, omnia plana erunt.

II. Si in *l. adversus uxorem* 4. *Cod de Crim. expil. hered.*, dempta repetitione litterae s, pro *domus suscipitur*, legatur *domu suscipitur*, omnis exulat supervacua de *divina domo* controversia.

III. Si in *l. ad instruendam* 34. *ff. de administr. et peric. tutor* pro *admittendam*, una immutata litterula, legamus *admittendum*, omnis cessabit incongrua loquendi ratio.

Singulare exemplum aliud dedit acute clariss. Noodtius *probabil. lib.* 1. *cap.* 4, qui in *l. si cum*

venderet 13. §. 1. *ff. de pignerat. action.*, pro = *ut in commodato* = reponendum censuit = *at in commodato*; = sed hanc emendationem merito rejecit Wielingius *lect. Jur.civ. lib.* 1. *cap.* 7., qui salva antiqua lectione Ulpiani mentem satis feliciter exposuit.

(*f*) Sic legendo *l. Hæ res*, pro *hæres in pr. l.* 15. *ff. de legat.* 3.

II. *Ejus dem* pro *ejusdem* in *l.* 1. §. *eleganter* 33. *ff. deposit.*,

III. *Putasti cum non esset* pro *puta Stucum non esset*, in *cit. l.* 1. §. *si rem* 32. *ff. eod.*,

IV. *Pactumejus* pro *Pactum ejus*, in *l. ult. ff. de hered. instit.*, facile emendatur corruptæ lectionis vitium.

(*g*) Si ex. gr. Alfeno tribuamus verba *cum incendium sine culpa fieri non possit* =, quæ exstant *l. si vendita* 11. *ff. de per. et comm. rei vend.*, cum eo pugnabit Ulpianus, qui *l. contractus* 23. *ff. de reg. jur.* incendia refert ad eos casus, qui a nullo præstantur. Sed si rem mature perpendemus, manifestum erit, verba illa Consultoris esse, Alfeni autem quæ sequuntur = *sine patrisfamilias culpa fieri potest* =.

(*h*) *Emblemata* proprie dixerunt Jurisconsulti, quæ mobilibus quibusdam ornandi causa adiiciebantur *l. si gemma* 17., *l. cum aurum* 19. §. *simili modo* 5. *ff. de aur. arg. mund.*; sed in re litteraria *emblemata* dicuntur accessiones illæ, quæ ab

aliena manu consulto profectæ, in sinceris libris desiderantur.

Jamvero, ad Romanas leges quod attinet, Triboniani emblemata notavit Wissembachius docto sane opusculo, cui *tit. Emblemat. Tribonian.* inter *Varior. opusc. ad cultior. Jurispr. pertinent. Tom.* 9. *Pisis ann.* 1771. Unum retulisse sufficiat. Paragrapho ultima *Inst. tit. de codicill.* docet Imperator, codicillos nullam solemnitatem ordinationis desiderare. Jamvero, doctrina hæc aperte pugnat cum Theodosii sanctione in *l. ult.* §. *ult. Cod. de Codicill.*, qua sæculo ante cautum videtur, quinque testes uno eodemque tempore adhibendos esse in omni ultima voluntate, excepto testamento. Ita profecto res esset, si finalis illa paragraphus, quæ frustra in Theodosiano Codice quæritur, Triboniani manum non redoleret, qui post vulgatas Institutiones, eam ad Theodosii constitutionem adscripsit ex *l. unic.* §§. 1. *et* 2. *Cod. de latin. libert. tollend. V. Wissembach. loc. cit. cap.* 9. §. 16., *Cyrill. comment. ad cit.* §. *ult. Instit. tit. de Codicill.*

Glossemata autem Latini dixerunt priscas et minus usitatas voces, quarum abstrusior significatio Oedipo conjectore indigeret; sed Interpretes nostri *glossemata* dicunt, quæ scripturæ margini olim fortasse adnotata, amanuensium incuriâ in textum ipsum fortuito irrepserunt.

Hinc verba = *postquam negaverit* =, quæ cancellis circumscripta passim ferunt vulgati Institutionum Codices in fine §. *ult. tit. de fideic. hereditat.*, quæque in manuscriptis codicibus frustra quæsita plane respuit *tert. in l. ult. Cod. de fideicomm.*, concordi suffragio, post Cujacium, ad glossemata referunt Vinnius, Everardus Otto, Cyrillus *comment. ad cit.* §. *ult.*

Item verba illa = *socium autem omnium bonorum accipiendum est* =, quæ nunc exstant in *l. sunt qui* 16. *ff. de re judic.*, quid glossematis olere, acute suspicatur Antonius Faber, ut Ulpianum cum Sabino, et cum Ulpiano ipso conciliet. *V. Rational. ad l. verum* 63. *ff. pro socio*; quamvis conciliationem aliam proponi posse, postea animadverterit *Voet ad ff. tit. pro socio num.* 20.

(r) Harum elenchum doctis observationibus illustratum *V. ap. Guadagn. Instit. jur. civ. prooem., sect. cui tit. Jur. Roman. collect. post Justinian.*

De his apposite Leibnitius *nov. method. disc. docend. Jurispr.* §. 65. = versio legum nostra„ rum græca ad interpretationem multum facit; „ græci enim Paraphrastæ et Scholiastæ vetus„ tiora nostris exemplaria habuere, historias„ que legum accuratius pernovere =.

Nec tamen simpliciter et inconsiderate illis fidem habendam esse, post Donellum notavit *Eckard loç. supr. cit* §. 304.

CAP. II.

De Interpretatione Sententiarum.

§. LXXI.

De Judicum sententiis interpretandis Doctrina, præter generales canones, tribus hisce regulis comprehendi potest

I. Sententiarum verba eo sensu accipienda sunt, quem fert proprius et communis usus loquendi, omni prorsus rejecta *metaphorica*, ut ajunt, significatione (*a*).

II. Cum in omni interpretatione commodissimum sit, id accipi, quo res de qua agitur, magis valeat quam pereat (*b*), obscura vel ambigua Judicis verba ita interpretari oportet, ut ea omnia servata dicantur, quæ sententiam a competente Judice latam comitari debent, ut ipsa valeat.

III. Quamvis Judex, posteaquam semel sententiam dixit, Judex in ea causa esse desinat (*c*), tamen actorum verba *declarare*, tenore sententiæ perseverante, non est ei prohibitum (*d*).

(a) *Averan. Interpret. jur. lib.* 1 *cap.* 1. *in pr.* Hinc licet jus *gladii* lege delatum, merum imperium significet, et generalem potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines *l. imperium* 3. *ff. de jurisdict.*, *l. solent* 6. *pr. ff. de offic. Procons.*, *l. nemo* 70. *ff. de reg. jur.*, si tamen sententiâ damnatur aliquis, ut *gladio* in eum animadvertatur, *gladio* animadverti oportet, non securi, vel telo, vel fuste, vel lapide, vel quo alio modo *l. aut damnum* 8. §. 1. *ff. de poen.* Huc pertinet quod Papiniani percussori dixisse Caracallam refert *Spartian. in Antonin. Caracall.* = gladio te exequi oportuit meum jussum =.

(b) *V. supr.* §. *XXV. num.* 3.

(c) *L. Judex* 55. *ff. de re judic.*

(d) *L. Actorum* 46. *ff. eod.*

§. LXXII.

Cum itaque, ex regula secundo loco posita, obscuræ vel ambiguæ locutionis a Judice usurpatæ, cum iis quæ sententiam necessario comitari debent, opportuna comparatio, magno adjumento esse possit in hoc de sententiarum interpretatione negotio, operæ pretium existimo, ea ipsa veluti per indicem hic loci subnectere.

§. XXXIII.

Ad sententiæ cujuslibet firmitatem adstruendam, præter Judicis *competentiam* ut ajunt, hæc omnino necessaria sunt

I. Ut ipsa receptis juris regulis non repugnet (*a*):

II. Neque rebus antea judicatis (*b*):

III. Ut ea non præcipiat, quibus pareri rerum naturâ non possit (*c*):

IV. Ut id, quod in judicium deductum est, Judicis jussa non excedant (*d*):

V. Ut quantum fieri possit, certæ pecuniæ vel rei sententia feratur, licet de incerta quantitate actum sit (*e*).

(*a*) *Princ. Instit. tit. de off. Judic., l.* 1. §. *item contra* 2. *ff. quæ sent. sine appell. rescind., l. si expressim* 19. *ff. de appellat.*

(*b*) *L.* 1. *Cod. quand. provoc. non est necess,*

(*c*) *L. ult ff. quæ sent. sin. app. resc.*

(*d*) *L. ut fundus* 18 *ff. comm. divid.*

(*e*) §. *curare* 32. *Inst. tit. de action.*

Hinc L. Pomponius ait, inutiliter arbitrum incertam sententiam dicere, ut puta = *quantum ei debes redde* = *divisioni vestræ stari placet* = *pro ea parte, quam creditoribus sol-*

„ *visti*, *accipe* = *L. quid tamen* 21. §. *Pomponius* 3. *ff. de recept. qui arb. recep.*
II. Prætorem merito reprehendit Ulpianus, qui tutori permiserit res pupillares *vendere vel obligare*; ipse enim statuere et eligere debet, utrum magis *obligare*, an *vendere* permittat. *L. si pupillorum* 7. §. *quid ergo* 4. *ff. de reb. eor. qui sub tut.*

CAP. III.

De Interpretatione ultimarum voluntatum.

§. LXXIV.

Cum defuncti voluntas, sive quoquo modo expressa, sive probabili conjecturâ perspecta, omne punctum ferre debeat in supremis ipsius tabulis interpretandis (*a*); nisi ea latis legibus manifesto repugnet (*b*); hinc ad generales regulas superiore libello propositas, et hæ speciales adjungendæ,

(*a*) *L. fideicommissa* 11. §. *item* 19. *vers. Imperator ff. de legat.* 3., *l. ult. ff. de hered. instit.*, *l. in conditionibus* 19. *pr.*, *l. pater* 101. *pr. ff. de condit. et dem.*, cujus occasione lepida sane est inter Baldum et Cassolum disputatio, quam post

Castrensem refert Gravina *de ort. et progress. jur. civ. lib.* 1. *cap.* 165.
(*b*) *L. nemo* 55. *ff. de legat.* 1., *l. verbis legis* 120. *ff. de verb. signif.*

§. LXXV.

Quamvis a communi verborum significatione non aliter recedi oporteat, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatores (*a*): tamen cum ipsi plerumque abusive loquantur, nec propriis nominibus ac vocabulis semper utantur, ideo in causa testamentorum ad grammaticam verborum definitionem curiose nimis descendendum non est (*b*), quandoquidem monente Pedio (*c*), optimum potius erit, non propriam eorum significationem scrutari, sed in primis quid testator demonstrare voluerit (*d*).

(*a*) *L. non aliter* 69. *pr. ff. de legat.* 3.
(*b*) *Cit. l.* 69. §. 1. *ff. de legat.* 3.
Hinc a Juliani et Papiniani sententia, de qua supr. § *XIX. not. a.*, merito dissentit Ulpianus, testatoris sensum, magis quam verba amplectens *l. si quis* 3. §. *conditio* 9. *ff. de adim. vel transf. legat.*

(c) *L. cum de lanionis* 18. §. *item caccabos* 3. *ff. de instr. vel instrum. legat.*

(d) Hinc I.° Si quis ita caverit = Publio Mævio omnes *Juvenes*, quos in ministerio habeo, dari volo =, et quæramus a qua ætate *juvenes*, et in quam intelligi debeant?, Marcellus ait, quos verbis quæ proponerentur demonstrare voluerit testator, ad notionem ejus qui de ea re cognitursus esset, pertinere *cit. l.* 69. §. 1. *ff. de legat.* 3. Et recte: voluntatis enim defuncti quæstio in æstimatione Judicis est. *L. voluntatis* 7. *Cod. de fideicomm.*

II. Si fundi instrumentum quis legaverit, ad dignoscendum quæ mobilia *instrumenti* nomine veniant, non in infinitum procedere debent primis quibusque proxime copulata, sed mens testatoris in primis attendenda *cit. l.* 18. §. 3. *ff. de instr. vel instrum. legat.*

§. LXXVI.

In testamentis plenius voluntates testantium interpretari debemus (a).

(a) *L. in testamentis* 12. *ff. de reg. jur.*

Plenioris hujus interpretationis exempla passim occurrunt in toto jure civili. Nonnulla retulisse sufficiat.

I. Conditio vel natura, vel lege, vel moribus

impossibilis, quae contractibus adposita eos plane vitiat §. *si impossibilis* 11. *Inst. tit. de inut. stipulat.*, *l. non solum* 31. *ff. de obl. et act. l. impossibilis* 7., *l. generaliter* 26., *l. veluti* 27. *pr. ff. de verb. oblig.*, postremae voluntatis elogiis adscripta, inconsulto excidisse praesumitur, ideoque habetur pro non scripta §. *impossibilis* 10. *Inst. tit. de haered. instit.*, *l.* 1., *l. conditiones* 14, *l. quidam* 27. *pr. ff. de cond. instit.*, *l. si Maevia* 45. *ff. de hered. instit.*, *l. reprehendenda* 5. *Cod. de instit. et substit. V. Voet ad ff. tit. de cond. Instit. num.* 16.

II. Si de potestativa conditione agatur, quae ab herede instituto, vel a legatario impleri nequeat sine facto Tertii cujusdam, qui una cum ipso consentiat, ut conditioni pareatur, conditio ipsa pro impleta habetur, quoties reluctante tertio, per heredem vel legatarium non stetérit, quominus impleretur. *L. si ita* 3., *l. si quis* 11., *l. uter ex fratribus* 23. *ff. de condit. Instit.*, *l. si post diem* 5. §. *item si qua* 5. *vers. sed et si ita ff. quand. dies legat. ced. V. Voet ibid. num.* 19.

III. Conditiones, quae in non faciendo consistunt, percelebris Mucianae cautionis remedio neque hereditatibus neque legatis moram facere, vulgo notum est. *L. Mucianae* 7. *pr. ff. de cond. et dem.*

IV. Quamvis latina (secus ac graeca) pluralis

elocutio duorum numero contenta sit, ideoque ubi numerus testium ooo adiicitur, etiam duo sufficiant *l. ubi numerus* 12. *ff. de testib*, tamen ad pleniorem postremae voluntatis interpretationem Divus Pius Caecilio Proculo rescripsit, eum cui *servorum* legata sit electio, tres posse eligere *l.* 1. *ff. de opt. vel elect. legat.*

V. In conditione = *si filia mea cum Titio nupta „ erit* = placuit, non semper mortis tempus observari, sed voluntate patrocinante, tardius produci. *L. in conditionibus* 19. *pr. ff. de cond. et dem.*

VI. Pactumejus Androsthenes falso rumore ductus, heredem prioribus tabulis institutum decessisse, mutavit testamentum. Licet falsus modus obesse non soleat, tamen ex voluntate testantis putavit Imperator, primo heredi esse subveniendum *l. ult. ff. de hered. instit.*

VII. Si quis domus usum reliquerit, quamvis legatum hoc minus patere debeat quam ususfructus, attamen usuarii commodo, illud quam plenissime interpretandum esse docuerunt Ulpianus et Paulus *l. cui usus* 2., *l.* 3., *l.* 4., *l.* 5., *l.* 6., *l. plenum* 12. *ff. de us. et habitat.*

VIII. Idem dicendum, si vir uxori legaverit *quae ejus causa parata essent L. hoc legatum* 45., *l. ea tamen* 46., *l item legato* 49 *ff. de legat.* 3., *l. uxori* 13. *ff. de aur. arg. mund.*

IX. Idem, legatis alimentis vel nullo adjecto

tempore, vel usque ad pubertatem. *L. Mela 14. pr. et §. 1. ff. de alim vel cibar. legat., ibiqu. Averan. Interpret. jur. lib. 5. cap.* 10.

X. Idem, si testator rem quam alienam esse ignorabat, proximæ personæ vel uxori legaverit *l. cum alienam* 10. *Cod. de legat.*, vel etiam extraneo cuicumque, cum illa heredis esset. *L. unum ex familia* 67. *§. si rem* 8. *ff. de legat.* 2.

XI. Idem, si *illum aut illum* heredem scripserit, *illi aut illi* legaverit. *L cum quidam* 4. *Cod de verb. et rer significat.*

XII Idem denique, si reliquerit aliquid aut Domino nostro Jesu Christo, aut Sanctis ejus. *L. ult. Cod. de sacros. Eccles.*

§. LXXVII.

Cavendum tamen, ne regulæ hujus prætextu, remotis quodammodo froenis, vaga prosiliat Interpretis licentia, itaut voluntates testantium, potius effingere, quam congrua ratione explicare videatur (*a*).

(*a*) Ad hanc itaque regulam justis limitibus coercendam, en exempla quædam è Romano jure deprompta.

I. Si testator rem, quam alienam esse ignorabat, quæque heredis non sit, extraneæ personæ

legaverit, non usque adeo patebit voluntatis ejus interpretatio ut legatum valere dicatur. §. *non solum* 4. *Inst. tit. de legat.*

II. Si pater filiæ dumum legaverit, eique per domos hereditarias jus transeundi præstari præceperit, viro quidem ejus, non autem hæredibus jus transeundi præstabitur. *L. pen. ff. de servitut. legat.*

III. Penu legata ab eo, qui solitus erat fructus suos vendere, quique iis promiscue utebatur, non fructus omnes deberi placuit, sed quantum ad annuum usum testatori, ejusque familiæ sufficeret. *L. nam quod* 2. §. *idem* 2. *ff. de pen. legat.*

IV. Si quis legaverit = *quidquid in fundo, vel domo, vel horreo suo esset, cum moreretur* =, legato quidem continebantur et quæ casu absunt, et pecunia numerata præsidii loco reposita; minime vero cautiones debitorum, cæterarumque rerum emptiones: nec nummi ibi repositi, ut mutuo darentur: nec quæ casu adsunt, vel quæ ignorante testatore a legatario illata fuerint, ampliandi legati gratia, vel denique res alienæ sive commodato, sive deposito acceptæ. *L. hujusmodi* 84. §. *legatum* 10. *ff. de legat.* 1., *l. omnia* 32 §. *cum ita* 3. *ff. de legat.* 2., *l. nomen* 34. §. 1., *l. quæsitum* 78. §. *ult.*, *l. si chorus* 79. §. 1., *l. si mihi* 92. *ff. de legat.* 3, *l. quæsitum* 12. §. *Papinianus* 45., *l. cum*

de lanionis 18. §. *Sabinus* 12. *ff. de instr. vel instrum. legat.*, *l. si uxori* 39 §. 1. *et ult. ff. de aur. arg. mund.*

V. Si non adjecta portione, communis fundus legatus sit, quem testator *meum* nominaverit, non totum sed partem deberi constat *l. servi* 5. §§. 1. *et* 2. *ff. de legat.* 1., nisi vel eum herede communis fuerit, vel vivus testator socii partem redemerit. *V. Voet ad ff. tit. de legat. et fideic. num.* 28.

VI. Vectigali, vel emphyteutico fundo legato, non videtur plena proprietas legatario tributa, sed jus illud tantummodo, quod in eo testator habuit. *L. si domus* 71. §. *ult. ff. de legat.* 1.

VII. Si fundus, qui locatus erat, cum instrumento legetur, instrumentum quod coloni sit, non alias legato cedit, quam si nullum domini fuit. *L. fundus* 24. *ff. de instr. vel instrum. legat.*

VIII. Si denique incertum sit, de quo fundo, vel de qua summa testator senserit, minor accipienda est. *V. supr.* §. *XLIV. not. b. num.* 1. 2. §. *XLV. not. a. num.* 1.

CAP. IV.

De Interpretatione Conventionum.

§. LXXVIII.

Conventiones omnes, sive ipsæ contractus naturam sortiantur, sive in meri pacti finibus consistant, duorum vel plurium in idem placitum consensu firmari, vulgo notum est (*a*).

Hinc ipsarum verba eo sensu accipienda, quem vel utrique contrahentes aperte voluerint (*b*), vel communis loquendi usus determinat (*c*), vel rei gestæ veritas exposcit (*d*).

(*a*) *L.* 1. §. *conventionis* 3. *ff. de pact.*

(*b*) In conventionalibus enim stipulatioolbus contractui formam contrahentes dant *l. in conventionalibus* 52. *pr. ff. de verb. oblig.*, ipsinsque legem statuunt. *L. contractus* 23. *ff. de reg. jur.*

(*c*) Cum enim concurrat oportest affectus ex utraque parte contrahentium *l. in omnibus* 55. *ff. de oblig. et act.*, nequit unus, invito altero,

ab ea verborum significatione deflectere, quam fert communis usus, penes quem est jus et norma loquendi.

(*d*) *V. Tit. Cod. plus valere quod agit. quam quod simulat. concip.*

§. LXXIX.

Cum itaque in stipulationibus, et in ceteris contractibus interpretandis, id semper sequamur oportet, quod actum est (*a*), eoque in primis tendere debeat accurati Interpretis investigatio, hunc ad eam fovendam, præter generales Canones interpretationi cuique congruentes, hæ speciales regulæ tenendæ

I. Contractuum strictior esse debet, quam ceterorum actuum interpretatio, atque ideo quod verbis expressum non fuerit, id *ordinario jure* omissum intelligendum est (*b*):

II. Hinc in dubio, secundum promissorem interpretari debemus, quia stipulatori liberum fuit verba late concipere (*c*).

(*a*) *L. semper* 34. *ff. de reg. jur.*

(*b*) *L. quidquid* 99. *pr. ff. de verb. oblig.*

(c) *L. stipulatio* 38. § *in stipulationibus* 8., *cit. l.* 99. *pr. ff. de verb. oblig. V. dec. Rot. Rom. in Romana fruct. dotal.* 1. *Jun.*, 1801. *num* 4. *cor. de Bayane*.

Hinc I. Veteribus placuit, pactionem obscuram vel ambiguam, venditori et qui locavit nocere: in quorum potestate fuit legem apertius conscribere. *L. veteribus* 39. *ff. de pact.*; *l. Labeo* 21., *l. cum in lege* 33. *ff. de contr. empt.*, *l. in contrahenda* 172. *pr. ff. de reg. jur.*

II. Qui *hoc anno*, *hoc mense* dari stipulatus est, nonnisi omnibus partibus præteritis anni vel mensis recte petet. *L. qui hoc anno* 42. *ff. de. verb. obl.*

III. Cautionem Mucianam, quæ ultimarum voluntatum executionem accelerat *V. supr.* § *LXXVI. not. a. num.* 3., a contractibus omnino exulare, post §. *sub conditione* 4. *Inst. tit. de Verb. obl.*, recte animadvertit Cujacius *Observ. lib.* 14. *cap.* 32.

IV. Quæ denique de ficto implemento conditionis potestativæ supra firmavi §. *LXXVI. not. a. num.* 2, si reluctante tertio, per heredem vel legatarium non steterit, quominus impleretur, ad contractus minime proferri posse receptum est, ob *text. in l.* 1., *et l. nihil refert* 4. *ff. de condict. sine caus*

§. LXXX.

Et hæc quidem *ordinario jure* procedere dixi. Verum non ita strictioribus contractuum verbis semper hærendum, ut et *extensiva* interpretatio in conventionibus explicandis perpetuo exulare debeat, et semper secundum promissorem respondendum sit.

Hinc hæ animadversiones non negligendæ

I. Ea omnia, quæ fert contractus natura (*a*), quamvis non expressa, vim obligandi habent (*b*):

II. Si ex contrahentibus, vel quasi contrahentibus unus certet de damno vitando, alter de lucro captando, in re obscura melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro (*c*):

III. Si quis *aliquid per se non fieri*, vel *dolum, malum abesse*, pollicitus sit, non simplex abnutivum spopondisse dicendus est (*d*):

IV. Si contractus proferatur, in quo nulla extet *heredis* mentio, quod verbis

omissum, interpretatione supplendum est (*e*).

V. Si quis denique *Kalendis Januariis* ex. gr. se soluturum spoponderit, non remotiores, sed proxime venturas intellexisse, omnino dicendus erit (*f*).

(*a*) *Naturalia* contractuum ea juris regulæ constituunt, quæ speciali pacto deficiente, ipsorum effectus determinant. *V. Mozz. tractat. de contract., Heinecc. Recitat. in elem. Jur. civ.* §. 899.

(*b*) Hinc ex. gr. I. Diversorum contractuum ea natura est, ut quidam dolum malum dumtaxtat recipiant, eoque adfinem culpam *latam*, quidam et dolum et culpam *levem*, quidam et diligentiam, sive culpam *levissimam*. Itaque si contrahentes nominatim dixerint, ut plus vel minus in singulis contractibus præstari debeat, hoc servabitur quod initio convenit; si nihil de ea re aperte statuerint, ipsorum silentium supplebit contractus natura. *L. contractus* 23. *ff. de reg. jur.*

II. Emptionis natura est, ut venditor evictionem præstet. Itaque non dubitatur, etsi specialiter ipsam non promiserit, re evictâ, emptori competere actionem, *L. non dubitatur* 6. *Cod. de evicion.*

(c) *L. non debet* 41. §. 1. *ff. de reg. jur.*

Hinc I. Sufficit ad causam indebiti, incertum esse, temporaria sit, an perpetua exceptio *l. sufficit* 56. *ff. de condict Indeb.*, ac proinde omnibus, qui citra causam transactionis, mente titubante et incerto animo indebitam dederint pecuniam, vel aliam quandam speciem persolverint, repetitionem non denegari, decidendo sancivit Imperator *L. ult. Cod. eod.*

II. Si confecto Inventario, et emenso patrimonio, defuncti creditores superveniant, qui necdum completi fuerint, licentia eis non denegatur adversus legatarios venire, et quae ipsi acceperint recuperare; cum satis absurdum sit, creditoribus quidem jus suum persequentibus legitimum auxilium denegari, legatariis vero, qui pro lucro certant, suas partes leges accommodere. *L. ult. §. sin vero creditores* 5. *Cod. de jur. delib.*

(d) *L. in illa* 50. *pr.*, *l. inter stipulantem* 83. *pr. ff. de verb. oblig.*

(e) *L. si pactum* 9. *ff. de probation. V. tamen infr.* §. *XC. not. b. num* 3. *et seq*

(f) *L. eum qui* 41. *pr. ff. de verb. oblig.*



HERMENEUTICAE LEGALIS

LIBRI IV.

LIB. IV.

De peculiari causarum quarumdam privilegio in interpretationis negotio.

§. LXXXI.

Generalibus et specialibus regulis expletis, ad rectam quorumcumque actuum interpretationem comparatis, pauca quaedam coronidis loco subjungenda supersunt, quae privilegii instar quodammodo se habent in interpretationis negotio.

§. LXXXII.

Hoc itaque privilegio aliquo ex parte potiuntur causae, quibus agitur

I. De Alimentis:
II. De Commodis Causae piae:
III. De Dotibus:

IV. De Exemptione:
V. De Libertate:
VI. De Poenis:
VII. De Prorogatione facultatis:
VIII. De Renunciatione.

CAP. I.

De Alimentis.

§. LXXXIII.

Cum necare videatur qui alimonia denegat (*a*), merito receptum est, ut alimentorum causa pietatem resonet (*b*), ac proinde favore maximo semper prosequenda sit (*c*).

(*a*) *L. necare* 4. *ff. de agnosc. et alend. liber.*
(*b*) *L. Mela* 14. §. 1. *ff. de alim vel cibar. legat.*
(*c*) *V. Surd. de aliment. tit.* 8 *per tot.*, *Rot. Roman. in Spoletan. Alimentor.* 8. *Mart.* 1793. *num.* 5. *cor. Soderino*

§. LXXXIV.

Hunc favorem sibi conciliat in interpretationis quoque negotio; ideoque in

dubio pro alimentis respondendum est, sive agatur

I. De ipsis decernendis (*a*):

II. De ipsorum modo et quantitate (*b*):

III. De tempore, quousque præstanda (*c*).

(*a*) Hinc I. Non tantum liberos, qui in potestate sunt, sed et emancipatos a parentibus ali, eosque alere debere, docuit Ulpianus *l. si quis* 5. §. *si impubes* 13. *ff. de agnosc. et alend. liber.*

II. Non tantum patris, ceterorumque paterni generis adscendentium, sed et matris, ceterorumque parentum per illum sexum contingentium, ad alimenta quod attinet, desideria perpendere Judicem oportet. *cit. l.* 5. §. *utrum* 2. *ff. eod.*

III. Heredes quoque defuncti filii superstitem patrem alere cogendi sunt, si ipse in summam egestatem deductus est. *cit. l.* 5. §. *item rescriptum* 17. *ff. eod.*

IV. Quæstiones præjudiciales, quibus disceptatur, an quis filiorum numero habendus sit, minime impediunt, quin interim ei alimenta decernantur. *cit. l.* 5. §. *meminisse* 9., *l. si neget* 7. *ff. eod.*

V. Quamvis, re non demostrata, nec legatum valeat, nec stipulatio *l. cum post divortium*

69. §. *gener* 4. *ff. de jur dot.*, tamen si cui annuum fuerit relictum sine adjectione summæ, rejecta Melæ opinione, qui nihil videri huic adscriptum censuit, veriorem Nervæ sententiam Ulpianus sequutus est, id scilicet videri relictum, vel quod testator præstare solitus fuerat, vel quod ferat personæ dignitas *l. si cui* 14. *ff. de ann. legat.* V. tamen supra § *XLI. not. d. num* 6.

(*b*) *Cit. l.* 14. *ff. de ann. legat.*, *l. cum alimenta* 22 *pr. ff. de alim. vel. cibar. legat.*

(*c*) *Cit. l. Mela* 14. *pr. et* §. 1. *ff. de alim. vel cibar. legat.*, *ibiqu. Averan. Interpret. jur. lib.* 5. *cap* 10.

CAP. II.

De Commodis Causæ piæ

§ LXXXV.

Si alimentorum causa pietatem resonat, causa quam *piam* dicimus (*a*), et pietatem et religionem respicit (*b*).

(*a*) Quæ veniant nomine *causæ piæ* fuse indicat *Amostaz. de caus. piis lib.* 1. *cap.* 1. *et* 2.

(*b*) Hinc valere argumentum ab alimentis ad causam piam, docet *Surd. de aliment. tit.* 8. *privil.* 1. *num* 18.

§ LXXXVI.

In dubio itaque, ipsius favore actum quemlibet interpretandum esse, docent Juris nostri Magistri (a).

(a) *Tiraquell. de privileg. piæ caus. privil.* 101., *Mantic. de conjectur. ultimar voluntat. lib.* 6. *tit.* 35. *et seqq. V. tamen Amostaz. loc. citat. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 47., *et seqq.*

CAP. III.

De Dotibus.

§ LXXXVII.

Cum Reipublicæ intersit, dotes mulieribus conservari, dotium causam semper et ubique præcipuam esse, docuit Pomponius (a), cui congruenter monuit Paulus (b), in ambiguis pro dotibus respondere melius esse (c).

(a) *L.* 1. *ff. solut. matrim.*
(b) *L. in ambiguis* 85. *pr. ff. de reg. jur.*
(c) Hinc I. Licet fundo non demonstrato, nullum esse legatum vel stipulationem fundi

constet, si tamen dos promissa fuerit arbitratu dotantis, arbitrio quoque detracto, stipulationem valere placuit: cum inter modum constituendæ dotis, et corpus ignotum differentia magna sit. Dotis enim quantitas pro modo facultatum patris, et dignitate mariti constitui potest. *L. cum post divortium* 69 *§. gener. 4. ff. de jur. dot.*

II. Si quis res alicui tradiderit, ut nuptiæ secutis, dotis efficerentur, et ante nuptias decesserit, dubitari posset, an postea secutis nuptiis, res illæ dotis esse deberent? Ipsarum etenim dominium jam heredis est, a quo invito discedere non potest. Justa quidem dubitatio: sed benignius esse, favore dotium necessitatem imponi heredi, consentire ei quod defunctus fecit, merito censuit Ulpianus *l. si ego* 9. *§.* 1. *ff. de jur. dot.*

III. Si mulier dotem pro alia qualibet muliere spoponderit, dubitatum est, an Senatusconsulti Vellejani præsidio se defendere possit, quominus confessionem suam compellatur adimplere; sed cum favore dotium Legis severitatem mollire sæpius oporteat, merito Justinianus, omnem Senatusconsulti auctoritatem in hac causa cessare, constituit *l. ult. Cod. ad Setum Vellejan.*

CAP. IV.

De Exemptione.

§. LXXXVIII.

Qui exemptione nititur, jus singulare allegat, quo de generali lege, bono publico lata, derogatur.

§. LXXXIX.

Hinc exemptionum causæ odii notam inusserunt Doctores nostri, in eaque proinde strictâ interpretatione procedendum esse, uno ore docuerunt (*a*).

(*a*) *V. Brunnemann. ad L. 1. num. 7. Cod. de immunitat nemini conced., Calderin. de donation. Cons. 6. num. 2., Paris. cons. 9. num. 5. et seqq. par. 4., Rot. cor. Molin. dec. 222. num. 7. Tom. 1., et in Auximana, seu Cingulana manutent. super bono jure 26. Jun. 1793. num. 3. cor. Soderino.*

CAP V.

De Libertate.

§ XC.

Quotiens dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum esse, tradidit Pomponius (*a*), et ideo in obscura voluntate manumittentis, favendum esse libertati, docuit Paulus (*b*).

(*a*) *L. quotiens* 20 *ff. de reg. jur.*
(*b*) *L. in obscura* 179. *ff. eod.*

Hinc I. Quamvis ordinario jure creditor cogi non possit, ut debiti partem accipiat *l. tutor* 41. §. 1. *ff. de usur. et fruct.*, cum sæpe solutio et exactio partium non minima habeat incommoda *l. plane* 3. *ff. fam. ercisc.*, tamen libertatis favore receptum est, ut si statu liber decem ex. gr. heredi dare jussus fuerit, cogatur heres etiam per partes accipere. *L. cum heres* 4. §. *item si decem* 6. *ff. de stat. liber.*, *junct. tamen l. statu liberos* 3 §. *si decem* 5. *l. si triennio* 18. *ff. eod.*

II Ubi de obligando quæritur, propensiores esse debere nos, si habeamus occasionem, ad

negandum; ubi de liberando, faciliores ad liberationem, Arriano praenante tradidit Paulus *l. Arrianus* 47. *ff. de oblig. et act.*

III. Si facultas alicui concessa, ut aliquid in alieno faciat, ipsius factum unice respiciat, quia de jure ulla facta sit mentio, non protinus realem perpetuamque servitutem impositam fuisse dicendum esse, post textum in *l. Lucius Titius* 37. *ff. de servitut. praedior. rusticor.* docuit Bartholus *ad eand. leg.*; quem Doctores ceteri, et magni nominis Tribunalia sequuntur. *V. Brunnemann. ad dict. leg., Pech. de aquaeduct lib.* 1. *cap.* 1. *quaest.* 2. *num.* 11. *et seqq., Rot. Roman. in Firmana execut. apoch.* 3. *Jul.* 1793. *cor Priolo.*

IV. Immo etsi de *jure* facta sit mentio, perpetuam servitutem denegandam esse docuit Papinianus, si appareat, jus illud singulari affectu alicujus personae ita datum fuisse, ut ad exteros ejus heredes non transmitteretur *L. Pater* 6. *ff. de servitut. legat*

CAP. VI.

De Poenis.

§. XCI.

In pœnalibus causis benignius interpretandum esse, ideoque interpretatione legum pœnas molliendas, potiusquam asperandas; supra animadverti (a).

(a) *V. supr.* §. *XXV. not. d. num.* 8.

Hinc in poenali et odii plena *Caducitatis* ut ajunt causa, et leges et pacta strictissime intelligenda esse, jamdiu receptum est. *V. Rot. Roman. in Sutrina Caducitat.* 21. *Maii* 1792. *cor. Strasoldo, in Firmana Parochialis* 15. *Jun.* 1792. *cor. Malvasia, in Maceraten. donation.* 27. *April.* 1801. *cor. de Bayane, et in Romana Caducitat.* 2 *April.* 1802. *cor. eod., Rot. Florentin. in Thesaur Ombros. Tom.* 3. *dec.* 50., *Tom.* 9. *dec.* 32, *Tom.* 12. *dec.* 31., *et inter Select. ann.* 1790. *Tom.* 6. *par.* 1. *dec.* 8.

CAP. VII.

De Prorogatione Facultatis.

§. XCII.

Sæpe contingit, ut vel testamento, vel mandato, vel qualibet alia contractus specie, facultas quædam alicui concedatur, cujus exercitio repetitis vicibus, iterum iterumque naturâ suâ expleri possit.

§. XCIII.

Hinc dubium, quousque prorogari debeat ea agendi facultas? Hinc juris regula, nisi aliter ex gestis appareat, ipsius prorogationem neque primum actum, neque primum tempus excedere (*a*).

(*a*) Hac regula innixus docuit Pomponius *l. boves* 89. §. 1. *ff. de verb. signif.* hoc sermone = *dum nupta erit* = primas nuptias significari.

Hac ipsa regula duce, si inter contrahentes convenerit, ut locationis tempore expleto, utraque silente parte, locatio ipsa in idem

tempus renovata censeatur, pactum hoc ad ulteriora tempora minime producendum esse, recte animadvertit Rota Florentina *in Thesaur. Ombros. Tom.* 12. *dec.* 58.

CAP. VIII.

De Renunciatione.

§. XCIV.

Justiniano teste (*a*), regula quidem est juris antiqui, omnes licentiam habere, his quæ pro se introducta sunt, renuntiare, quandoquidem unusquisque est rei suæ, ac proinde et jurium suorum, moderator et arbiter (*b*).

Attamen cum proprii juris renuntiatio plerumque donationem sapiat, cui juris præsumptionem obsistere docuit Paulus (*c*), merito placuit, in renuntiationis causa stricta interpretatione utendum esse, sive de ipsa admittenda agatur, sive de admissa certis limitibus coercenda (*d*).

(*a*) *L. si quis* 29. *Cod. de pact.*
(*b*) *L. in re mandata.* 21. *Cod. mandat.*

(c) *L. cum de indebito* 25. *pr. ff. de probation.*
(d) *V. Gallerat. de renuntiation. lib.* 1. *cap.* 9. *et seqq*, *Rot. Roman. in Nullius seu Farfen. Immiss.* 11. *Mart.* 1793. *num.* 11, *cor. Malvasia*, *Rot. Florentin. in Thesaur. Ombros. Tom.* 12. *dec.* 46.

§. XCV.

Hæc studiosæ Juventutis commodo, de præcipuis hermeneuticæ legalis fundamentis scripta sufficiant; exiliora quidem, academici temporis angustiâ; sed ea tamen e quibus usu docente, et fori experientia juvante, uberiores fructus non temere sperare liceat.

FINIS.

INDEX RERUM.

A

B

C

D

E

F

10

— Dotalia, neque a marito neque a sponso alienari, aut obligari potest. 12. *a*. 2.

Furtum quare sic dictum? §. 36. *a*. 3.

— Sola cogitatio furti faciendi non facit furem. *Ibid*.

Quaecumque de familia, quae furtum fecerit, vel contra Nautas, caupones, stabularios constituta sunt, de damno quoque intelligi debent. §. 39. *b*. 2. 3.

— Si res commodata subtracta sit, furti poena commodatario cedit. 31. *a*. 6.

Fustes, jure Romano veniunt *armorum* nomine; secus jure Etrusco. §. 8. *b*.

G

Geminatio litterarum saepe confert ad veram legum Romanarum lectionem adstruendam §. 70. *num*. 2.

— Exempla *Ib. b.*

Genus. Semper specialia generalibus insunt. §. 23. *a*.

— In toto jure generi per speciem derogatur. 41.

— Exempla. *Ib. d.*

Gestor negotiorum quando indemnitatem non consequatur? §. 28. *b* 3., 59. *d*. 1.

Gladius, per metaphoram, merum imperium significat; sed haec vox sententia usurpata, propriam significationem retinet. §. 71. *a*.

— Hinc Papinianus percussor a Caracalla reprehensus. *Ibid*.

Glossemata quae? §. 70 *not*. *h*.

— Eorum rejectio valde confert ad veram legum Romanarum lectionem adstruendam. 70 *num*. 8.

Exempla. *Ibid. not h.*

Graeca lingua V. *Lingua*

Graecae versiones V. *Versiones*

Grex V. *Armentum*.

H

I

L

M

N

O

P

Pignus. Omisso pignore, sponsores appellare, quamvis jure veteri et novo, creditori liceret, tamen indecorum hunc ordinem jam ante Justinianum improbaverat honestiorum humanitas. § 30 *f*. 3.
— In ceteris V. *Hypotheca*, *Jus pignoris*

Pluralis elocutio, penes latinos, secus ac penes graecos, duorum numero contenta est. § 76. *a* 4.
— Quando tres comprehendat? *Ibid.*

Plus qui volunt, etiam minus voluisse dicendus est. § 23. *num*. 1.
— Exemplum. *Ibid. not. a.*

Poena mollienda potius est interpretatione, quam asperanda. § 25 *d* 8., 58, 91.
— Specialis derogat generali, quamvis eadem lege comprehensa 41. *d*. 1.

— *Albi corrupti* V. *Album*
— *Compromissi* V. *Arbiter*
— *Furti* V. *Commodatum*, *Familia*
— *Temere in jus vocantis* V. *Vocatio in jus*
— In ceteris V. *Condemnatio*

Possessio a pedibus appellata est, quasi positio, idenque solo animo adquiri non potest. § 76. *a* 4.
— Jure singulari tamen possessionem, ignorantes licet, per servos nostros adquirimus. 59. *b*. 2.
— *Bonorum* V *Bonorum possessio*

Postumus an filiorum mentione continetur? §. 18 *c*. 1.

Potestas patria V. *Patria potestas*

Præfationes. Quæ præfationibus continentur, plerumque et inferius repetita censenda sunt. § 18.

Præsumptio. Contra donationem urget juris præsumptio. § 94.
— Item contra dolum et fraudem. 22. *b*
— Legatum, cui onus aliquod adnexum fuerit, ademptum præsumitur, detracto onere 32. *n*. 2 *et seqq*

Q

R

S

T

V

U



Pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE
4.	8	*cor. Resta*	*cor. de Bayanç*
13	6.	Interpetrationa	Interpretationis
	16	interpetrationi	interpretationi
15	13.	*l. eum qui* 23.	*l. eum qui* 23 *princip*
21.	13.	*l. in eo* 110.	*l. in eo* 110. *princ.*
	18.	mandas	mandasse
26.	22.	*l. ex conducto* 5.	*l. ex conducta* 15.
27.	16	(*b*) Sic ex gr. I.	(*b*) *L. semper* 34, *l. in obscuris* 114 *ff. de reg. jur.* Sic ex. gr. I.
31.	11.	*ab*	*ad*
47.	14	IV.	IX.
52.	8	§ *pacta in fin.*	§. *pacta* 4. *in fin.*
58.	1.	*cit. l.* 31.	*cit. l.* 34.
70	11.	subsidia. quae	subsidia, quæ
71.	9	accipenda	accipienda
92.	11.	demonstsavit	demonstravit
97.	13.	*l.* 1. § *fin de reg. Caton.*	*l.* 1 §. *fin. ff. de reg. Caton.*
104.	1.	§. XXXIII	§ LXXIII
115.	1.	§ *in stipulationibus* 8.	§. *in stipulationibus* 18
121.	26	demostrata	demonstrata
138.	17	*a.* 3	*a.* 8.
139.	8	*c* 11,	c 1.
140.	17	*Ib. a.*	*Ib. b.*
	29	*conordiam*	*concordiam*
142.	15	*Ib. e.*	*Ib c.*
143.	23.	*a. b.*	*a* 6.
148	17	19. *a.* 11.	76. *a.* 11.
152.	6.	*Accepilatio*	*Acceptilatia*

Cetera, ex litteris affinibus orta, veluti c. e., m. n., n. u., benevolus Lector facile emendabit.



